



PRECES ET MEDITATIONES

ANTE ET POST

MISSAM,

PRECIBUS PIISQUE EXERCITIIS IN USUM SACERDOTIS QUOTIDIANUM ADJECTIS,


COLLEGIT ET EDIDIT

JOH. EVANG. GOESER,

DIOECESIS ROTTENBURGENSIS PRESBYTER.

Opus namque grande est; neque enim homini praeparatur habitatio, sed Deo.
I. Paral. 29, 1.

CUM APPROBATIONE ARCHIEPISCOPI FRIBURGENSIS ET EPISCOPI ROTTENBURGENSIS.



TUBINGÆ,

IN BIBLIOPOLO HENRICI LAUPP.

MDCCCLV.

IMPRIMATUR.

Rottenburgi die 28. Martii 1854.

† JOSEPHUS, Episcopus.

IMPRIMATUR.

Friburgi Brisgojae die 2da Junii 1854.

† HERMANNUS, Archiepiscopus.

EX OFFICINA H. LAUPP.

JESU CHRISTO,

SUMMO SACERDOTI,

ET

MARIÆ,

BENIGNÆ SACERDOTUM MATRI

AC REGINÆ

D. D. D.

SACERDOS INDIGNISSIMUS.

PRECES ET MEDITATIONES

ANTE ET POST MISSAM.

INDEX.

Introductio.

I.

II.

III.

IV.

V.

VI.

Pag.

Manna quotidianum, sive considerationes ante et post missam, per singulos mensis dies distributae.

VII.

Appendix.

INTRODUCTIO.

I.

MONITA AD SACERDOTES *).

1.

De indigna celebratione.

1. Veni ad me, fili, et reficiam te. Verum accedens ad me praepara animam tuam.

Ego sum terribilis dominus et magnus vehementer, cui odio est impius et impietas ejus, qui indigne accedentem judico et condemno, firmans super eum per carnem et sanguinem meum maledictionem irae meae omnipotentis.

Proba te igitur, fili, antequam de pane meo edas et de calice meo haurias, ne tibi judicium manduces et bibas.

Proba te, interroga cor tuum, agnosce semitas tuas; et si via iniquitatis in te est, sacrum transire limen ne audeas; sed confundere coram me super indignitate tua; et quantumvis tibi contritus videaris, absque praemissa confessione ad altare non accedas.

*) Desumta ex libro Claudii Arvisenet, qui inscribitur „Memoriale vitae sacerdotalis".

2. Fili, Ego sum rex tuus mansuetus, qui te tot beneficiis cumulavi: et tu me osculo proderes! Ego sum deus tuus: et tu me satanae cor tuum possidenti traderes!

Ego sum salvator tuus: et tu me rursum crucifigeres! Ego sum sanctissimus: et tu me in immundo sordidae conscientiae tumulo reponeres!

O amice! ad quid venires? Melius esset tibi, si natus non fuisses!

3. Absit, Domine, a me tanta iniquitas! Adhaereat potius lingua mea faucibus meis; oblivioni potius detur dextera mea; tolle potius animam meam a me, quam tantum scelus a me patrari permittas!

Expedit sane magis, me vilissimam creaturam mori, quam te, creatorem meum, sic a me contemptibiliter conculcari.

O Domine, qui optimus es! O deus deorum! Domine dominantium! Quis est, qui sic tradet te!

4. O fili, quis est? Utinam unus tantum! Utinam duo! Sed eheu! quot me, non una vice, sed quotidie sic tradunt et crucifigunt!

Quotidie ad altare meum accedunt superbi, voluptatum amatores, luxuriosi, avari, aliorum criminum rei.

Isti me, fili, impuris manibus contrectant, immundo ore capiunt, foetido corde suscipiunt, sanguinem testamenti mei pollutum ducunt: coinquinor in medio eorum.

Possem quidem, fili, me de manibus eorum libe-

rare, fulgura sagittasque meas emittere, dissipare et interficere eos. Verum perirent, et nolo mortem impii. O si converterentur et viverent recte!...

O generatio pessima! Quousque proximus ero vobis! Quousque errabitis corde! quousque non parcetis mihi! Quod facitis, facite citius!

Verumtamen vertetur misericordia mea in judicium contra vos. Juravi in ira mea: Non introibitis in requiem meam.

2.

De praeparatione ad missam.

1. Fili, para mihi coenaculum, quia apud te facio pascha, et in domo tua oportet me manere.

Locus honorificus regi exspectato, locus optimus amico venienti praeparatur.

Ego, fili, sum rex tuus mansuetus; Ego dilectus tuus, qui pascor inter lilia; Ego deus tuus, quem coeli coelorum possidere indigni sunt.

Quantum igitur me prae amore tui humilio ad nihileïtatem tuam descendendo; tantum excita te in affectu ascendendo.

Munditia habitaculi cordis tui tibi non sufficiat: sed aurum charitatis, thus sanctae pietatis per devotissimam recollectionem in mente tua congrega.

In hoc cognoscitur affectus suscipientis dilectum, cum dilecto suo optimum praeparat locum.

2. O vos, qui, cum frigidi non sitis, calidi tamen

non estis; o indifferentes et tepidi, qui de visitatione mea vix curatis, qui e domo et domesticis negotiis sine mora decenti ad sacrificium continuo transitis: quid dicam vobis!

Ecce mensae vestrae de mane ordinantur pro convivis vestris; escae per dies disponuntur: et mihi ad vos venienti nequidem per brevissimum quadrantem coenaculum vestrum paratis!

Qui tamen ad convivia vestra conveniunt, forsan nec amant vos, nec honorant: Ego autem vos diligo in veritate.

Illi veniunt ad vos, ut de vestris epulentur: Ego autem venio ad vos, ut de me epulemini.

Illi venientes consumunt substantiam vestram: Ego autem venio, ut augeam vos et superaddam divitiis vestris. Vos tamen honoratis eos, et me inhonoratis!

O filii hominum! usquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem et parvi facitis meam bonitatem? Nauseat anima vestra super me, quasi super cibo levissimo.

O insensati! quis vos fascinavit? O tepidi, quos tolerare vix possum! Modo incipiam vos evomere ex ore meo.

3. Surge, fili, surge velociter; ne tepescas cum illis, sed festinans veni obviam mihi.

Veni, et considerans magnitudinem meam et vilitatem tuam te cum centurione indignum clama.

Veni, et cum Zachaeo flagrans amore excipe me

gaudens in domo tua, confidens, quod tibi per visitationem meam salus fiet.

Veni, et cum justo Abel oblationem tuam optima intentione dispone.

Sic holocaustum tuum pingue fiet. Gloriam patri, honorem sanctis, gaudium coelo, utilitatem ecclesiae, tibi salutem, gratiam justis, conversionem peccatoribus, auxilia indigentibus, requiem defunctis dabit.

3.

De gratiarum actione post missam.

1. Ego, verbum aeternum, caro factum, habitavi in te, fili; Ego, panis vivus, qui de coelo descendi; Ego, lux vera; Ego plenus gratiae et veritatis, plenus potentiae et fortitudinis; Ego, cujus misericordiae non est numerus; Ego tecum sum, et merces mea mecum est.

Ego tecum sum, ut salvem te, ut liberem te de manu pessimorum, ut redimam te de manu fortium.

O si scires donum dei, et quis est, qui in corde tuo quiescit; certe cor tuum fieret tamquam cera liquescens in conspectu meo; certe omnes animae tuae facultates in extasim absorberentur; certe oculi tui in lacrimas amoris et gratitudinis effluerent.

Non dubium, quin prae satietate nihil amplius de hoc mundo desiderans omnibus valefaceres.

Non dubium, quin sine voce et quasi sine sensu supra te raptus in dilectione mea sileres.

Non dubium, quin tote corde amplectereris dilectum tuum, et prae gaudio te totum illi sine ulla restrictione offerres.

Certe a tam benigno patre omnia virtutum charismata fiducialiter exspectares.

Certe a rege adeo potente omnia gratiarum auxilia contra inimicos tuos postulares.

Certe Jesum in te manentem et tuum factum tamquam excellentissimum munus patri coelesti cum summa devotione praestares.

Non dubium, quin omnia sanctorum spirituum agmina vocares, ut gloriam in excelsis dilecto tuo tecum dicerent.

Non dubium, quin prae sanctarum specierum consummatione tibi fieret dolor vehemens, a corporali tui salvatoris praesentia separari.

2. Non est, fili, alia natio tam grandis, quae habeat deos appropinquantes sibi, sicut Ego sacerdotibus meis appropinquo.

Quomodo ergo fit, ut plures ex illis praedilectionem meam quasi spernentes, aut saltem non, sicut decet, aestimantes, ne per brevis quidem morae spatium velint me in corde suo praesentem sacris honorare laudibus?

Vix ab altari meo discesserunt, cum e templo statim exeunt, ad saecularia pergunt. Adhuc escae eorum sunt in ore ipsorum, et jam obliviscuntur dei optimi, qui pavit eos. O ingrati! O filii lucis, minus prudentes filiis tenebrarum!

Filii hujus saeculi, cum a rege aut potente visitantur, detinent eum, ne subito discedat ab eis: salutant, gratulantur, offerunt, rogant, petunt, gaudentes, se posse ore ad os cum principe loqui, dilectionem ostendere, venerationem exhibere, necessitates aperire: et illi quidem ut mortalem principem honorent et corruptibilem mercedem recipiant.

O filii lucis, stulti et tardi corde ad credendum! Viri Ninivitae surgent in novissimo die contra vos, quia, Jona inter eos ambulante et praedicante, compuncti sunt: et ecce plus quam Jonas hic.

Regina Austri surget et condemnabit vos, quia venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis: et ecce plus quam Salomon hic.

Viri Jerusalem surgent contra vos, quia me cum eis conversantem voluerunt facere regem: et ecce Ego, rex regum, deus vester, intra vos sum, et disceditis, et me sine honore relinquitis solum.

3. Fili, numquid et tu velles abire? — Absit, fili, absit!

Cum reliqueris altare, redi ad me, ut audias me, qui verba vitae aeternae habeo; ut gustes et videas, quoniam suavis sum; ut cor tuum fiat in te ardens, dum loquar tibi.

Me, dominum deum tuum, cum tota tua devotione adora in te praesentem, cum angelis et archangelis hymnos gloriae meae canta, et non discedas a me, donec per benedictiones tuas benedictionem meam merueris obtinere.

II.

PRAXIS CELEBRANDI, CUM QUIS PROLIXIUS ORARE NON POTEST *).

1.

De praeparatione.

Quamvis humana negotia divinis functionibus nullo modo aequari, necdum praeferri debeant, quia tamen sunt aliqui sacerdotes publicis utilitatibus inservientes, qui necessariis et inevitabilibus occupationibus ita aliquando detinentur, ut prolixius orare nequeant, brevem illis praxin et expeditam proponere necessarium duxi, qua uti possint, cum celebrare voluerint, ne minus digne divinum sacrificium offerentes, ejus fructibus priventur. Haec autem tria tempora complectitur: id quod missam antecedit, id quod perficitur, et quod proxime subsequetur.

Ante missam praemittenda praeparatio duplex, remota et proxima. Pro remota haec servanda. Vespere praecedenti cogitet, se die crastina hostiam salutarem omnipotenti deo oblaturum, eique cogitationi indormiat. Addat brevem aliquem affectum reverentiae, amoris et desiderii. Sequenti die in eadem cogitatione et affectu evigilet caveatque diligenter, ne animus ita se negotiis immergat, et ad externa dilabatur, ut, cum tempus celebrandi advenerit, ad se revocari et recolligi non possit.

*) Sumta, perpaucis mutatis, ex libris Bonae Card.

Proxime ante sacrum terrenis omnibus cogitationibus abjectis, omnique seposita rerum agendarum sollicitudine, mentem erigat ad coelestia. Perpendat, qua devotione se sentiat ad celebrandum incitari, quo fine moveatur. Conscientiam excutiat, et si aliquam ei maculam inesse deprehenderit, sacramentali confessione eluat cum intimo doloris sensu et firmo proposito emendationis. Tum breve aliquod tempus sumat, passionem Domini commemoret, dirigat intentionem, et Dei opem sibi et aliis flagitet. Auxilium quoque Beatae Virginis et sanctorum ferventer et humiliter implorabit. Horum actuum et affectuum formulas infra descripsimus, quas sibi quisque in brevissimas aspirationes redigere poterit pro suo captu et devotione.

2.

De celebratione.

Missae celebrationi tres comites adjunget: reverentiam, attentionem et devotionem. Reverentia omnes motus exteriores componit, ut modeste graviterque fiant, praescriptis caeremoniis exactissime servatis, summaque adhibita humilitate, quae omnino necessaria est hostiam immaculatam offerenti in conspectu Dei et angelorum.

Attentio mentem coërcet, et iis quae aguntur affigit, ne ad alia defluat et evagetur.

Devotio voluntatem inflammat, ne languide et ex

consuetudine sacris operetur, sed cum ingenti fervore solertique studio Deum placandi et colendi. Quia vero animus parum tenax recti facile distrahitur, quibusdam quasi vinculis adstringi debet et in se retineri, qualia proponuntur in mystica missae significatione.

Sunt etiam aliqui, qui in septem veluti stationes missam partiuntur, ut in singulis congruos excitent affectus et renovent attentionem.

Prima dicitur „contritionis“, quae ante gradus altaris peragitur, ubi sacerdos tamquam reus se summi judicis tribunali corde contrito praesentat et generali confessione noxas expiat. Secunda „glorificationis“, quae missae introitu, angelorum cantico et reliquis usque ad Epistolam continetur. Tertia „doctrinae“ sive instructionis, quae Epistolam et Evangelium complectitur, monita scilicet a prophetis et ab apostolis et ab ipso Christo nobis tradita et cum ingenti reverentia suscipienda. Quarta „fidei“, quae symbolo absolvitur. Quinta „oblationis“, hostiae salutaris oblationem continens omniumque fidelium, pro quibus oramus et offerimus, commemorationem. Sexta „communionis“ ab illis verbis: Communicantes, qua sacerdotis animus in sublime erigitur variisque affectibus ad divinam unionem, quae communione peragitur, se disponit. Septima „gratiarum actionis“, a postcommunione usque ad finem. Porro in singulis stationibus varii affectus excitari possunt, raptim quidem et breviter, sed

brevitatem intensio affectuum atque ardor devotionis compensabunt.

3.

De gratiarum actione.

Quattuor post missam praestanda sunt, quorum primum et praecipuum est gratiarum actio, secundum oblatio, tertium petitio, quartum propositum digne coram Deo ambulandi. Gratiarum actio quanto exactius fiet, tanto erit copiosior oblati sacrificii fructus. Sicut enim ingratitudo fontem divinae largitatis exsiccat, ita gratitudo torrentem aperit coelestium benedictionum. Potest autem hic affectus multis et variis modis excitari, quos unctio suggeret, et ingeniosa pietas excogitabit. Hoc unum est, quod a nobis exspectat Deus, ut grati simus et memores beneficiorum ejus.

Sequitur oblatio, qua par pari Deo reddere sacerdos potest, filium ejus unigenitum et consubstantialem ei offerendo. Se ipsum quoque offeret Patri et Christo holocaustum acceptabile in odorem suavitatis; et quo gratior sit oblatio, merita ei addet Beatae Virginis et omnium sanctorum ac ipsius Christi, qui est salus, redemptio et tota fiducia nostra.

Quia vero cum Filio omnia nobis Pater donavit, ipsum pro suis et aliorum necessitatibus humiliter et ferventer deprecabitur. Horum actuum formula in promptu habenda erit potestque ex his excerpi, quae statui sacerdotibus conveniunt.

Tandem concludet efficaci proposito eundi de virtute in virtutem in conspectu Dei, donec ad apicem christianae perfectionis perveniat.

ASPIRATIONES POST MISSAM SÆPE PER DIEM REPETENDÆ.

Quis me separabit a charitate tua, Domine Deus meus? Non timor mortis, quia tu es vita mea; non amor mundi, quia ipsum sperno et pompas ejus; non tribulatio, quia tu, cum tribulor, mecum es; non fames, non nuditas, non paupertas, quia tu es cibus meus, operimentum meum et divitiae meae; non persecutio, non gladius, quia haec dulcia mihi sunt propter te; non creaturae, quia ante te nihil sunt.

Quando educes me de isto carcere, cui te relicto adhaesit anima mea? quando trahes me post te captum specie tua et pulchritudine tua? Quando mihi et toti mundo mortuus ero, ut in te solo vivam et tu vivas in me? O si semper te amarem, te semper possiderem, a te numquam discederem, in te prorsus converterer!

Quid possum extra te desiderare, cum in te sint omnia bona? Nimis avarus est, cui tu non sufficis.

O amor, qui omnia potes: quando facies, ut diligam te toto corde, tota anima, totis viribus?

Quid est mihi in coelo, et a te quid volui super

terram? Jam plenum est desiderium meum, plenum gaudium cordis mei, quia tu es plenitudo mea, omne bonum et desiderium meum.

Refice, Domine, esurientem animam meam; accende frigiditatem meam igne amoris tui; illumina caecitatem meam charitate praesentiae tuae.

Verte mihi omnia terrena in amaritudinem, omnia infima et creata in contemptum et oblivionem.

Erige cor tuum in te ad coelum, et ne permittas me vagari super terram.

Penetret, quaeso, hujus sacramenti virtus omnia intima mea, et quidquid in me pravum, quidquid vitiosum est, mortificet et eradicet.

In te, Jesu suavissime, sit omnis delectatio mea; taedeat me gaudii, quod est sine te; amara mihi sit omnis quies, quae non est in te.

Emitte ex te, benignissime Jesu, amoris tui radios, qui me succendant, et quidquid terrenum in me est, comburant et consumant, ut igni inextinguibili charitatis tuae ardeam, et vetus in me homo totus deficiat.

Utinam me rapiat ignita vis amoris tui, quae me transformet in te, et in te absorbeat ac me tecum unum efficiat!

III.

COMPENDIUM RITUUM IN OFFERENDO DIVINO SACRIFICIO SERVANDORUM.

§. 1.

De observandis ab initio usque ad Canonem.

1. Lotis manibus, parato calice, corporali bursae non tantum supposito, sed incluso, etc. sumit paramenta cum osculo amictus, manipuli et stolae, etiam dicturus de Requiem, ac preces praescriptas recitando.

2. Indutus facta cruci profunda reverentia, sequitur ministrum oculis demissis, corpore erecto, incessu gravi, non festino.

3. Bursa ad cornu Evangelii collocata, calicem altari impositum velo ita tegit, ut anteriori parte totus lateat.

4. Missam inchoaturus descendit ad infimum gradum, inde non propere nimis, sed decenti gravitate dicto ingressu ascendit, nullam in plano faciens reverentiam, etiam sanctissimo exposito; ad „vobis fratres“ ct „vos fratres“ in „confiteor“ versus ministrum non se inclinat.

5. Kyrie non incipit nisi capite cruci inclinato. Ad „Gloria in excelsis“ non elevat oculos, sed manus tantum ad humeros usque, ad „Deo“ caput inclinans.

6. Altare non osculatur in latere, sed in medio, ubi crux est in corporali, quod oram altaris tangere debet; ad „Dominus vobiscum“, „Orate, fratres“ etc. non disjungit manus, antequam versus populum stet; jungit autem prius, quam iterum ad altare vel librum se vertat.

7. Sub Graduali, Tractu, Sequentia non jungit manus, sed eodem situ habet, ac sub Epistola, aut librum tenendo, aut illas altari vel libro imponendo; ad „Munda cor meum“ junctas super altare non ponit. Post „Munda cor“ dicit „jube, Domine“, non „Domne, benedicere.“

8. Si ipse librum ad latus Evangelii portat, transeundo cruci in medio reverentiam adhibet; „Dominus vobiscum“ non dicit, nisi libro assistens, in quo ad finem modice elevato initium Evangelii osculatur.

9. Ad „credo in unum“ etc. oculos non elevat, sed manus tantum. Sub „et incarnatus“ unum dumtaxat genu flectit, etiam in Nativitate Domini.

10. Nonnisi finito „Suscipe, sancte pater“ patena, quam ambabus manibus tenet, crucem format. Calicem offerens ita elevat, ut cuppa oculos non excedat, nec ore inferior sit; crucem cum eo super corporale ambabus manibus facit. Dum dicit „Sanctus“ jungit manus, sed super altare non ponit.

§. 2.

De notandis a Canone usque ad finem.

1. „Te igitur, clementissime" non incipit nisi manibus elevatis statimque demissis et super altare positis. Dicens „Hanc igitur oblationem" manus simul super calicem et hostiam extendit.

2. Hostiam ac calicem elevat ultra altitudinem capitis, quin aut capiti aut fronti applicet, et mox iterum demittit. Calicem discooperit post genuflexionem secundam, tegit ante ultimam. Sancta Hostia in corporale dextera manu deposita, pollicem ab indice usque ad ablutionem nonnisi ad sanctae hostiae tactum sejungit, digitos digitis nunquam inserit etc.

3. Calicis consecrationem non nimis propere subjungit consecrationi hostiae, vitata indecenti tum elevationis tum genuflexionis festinatione; verba consecrationis non ita profert, ut singula vel capitis motione vel vehementiori aspiratione quasi extrudat.

4. „Per omnia" ad Pater noster non incipit, nisi post genuflexionem, manibus super altare positis. Ad „oremus praeceptis salutaribus" etc. caput inclinat, jungit manus ac super altare non ponit. Pater noster prosequitur extensis manibus, et oculis vel in librum vel sacramentum defixis.

5. Patenam post osculum purificatorio aut corporali non abstergit, et manus junctas sub „Agnus Dei" in missis de Requiem altari imponit.

6. Sub „Domine, non sum dignus" modice in-

clinatus sinistrum cubitum super altare non ponit, nec ad latus indecore se vertit; seipsum adhuc inclinatum sancta hostia signat, cruce super patenam facta; quae hujus latitudinem non excedat; sumpta sancta hostia, quod facit cubitis altari impositis, manus ante faciem jungit quiescendo tantisper, sed absque capitis inclinatione.

7. Calicem porro, quem aliis vicibus ad nodum infra cuppam tenuit, sanctum sanguinem sumpturus juxta rubricas infra nodum tenet; in ipsa sumptione autem convenienter tres haustus adhibet, in purificatione duos, et in ablutione duos, qua peracta velum super calicem ita accomodat, ut ex parte anteriori omnino tectus sit.

8. Communio dicitur apud librum, etsi memoriter sciatur. Ad Evangelium s. Joannis signatur tabella, si ex ea legatur; sin minus, altare, cujus signatio tamen omittitur exposito Sanctissimo. Ad „verbum caro factum est" fit genuflexio versus cornu Evangelii.

9. In discessu ab altari quoad modestiam oculorum, incessum etc. observantur superius de accessu notata.

10. Facta in sacristia cruci reverentia, vestes iisdem osculis deponuntur, quibus fuerunt assumptae.

§. 3.

De inclinationibus corporis.

Quadruplex adhiberi solet: genu, medii corporis, humerorum et solius capitis flexio. Prima pro-

fundissima dicitur, altera profunda, tertia mediocris, quarta minima.

Genuflectit altari, in quo Sanctissimum servatur, 1. dum ante illud transit. 2. dum ad illud accedit. 3. in plano, dicturus ingressum; ubi tamen factae genuflexioni nullam aliam humerorum seu capitis inclinationem subjungit. 4. in eodem plano, dum ab altari discedit. Genuflexio ad „Incarnatus", „Verbum caro" aliaeque, quia per se notae, non assignantur. Omnes autem fiunt usque ad terram, reliquo corpore erecto, sine festinatione.

Profunde se inclinat: 1. ad „Confiteor". 2. „Munda". 3. „Te igitur, clementissime". 4. „Supplices te rogamus". 5. ad sumptionem s. hostiae. 6. ante discessum e sacristia et post reditum. 7. quando ad altare, ubi Sanctissimum non servatur, accedit aut ab illo recedit. 8. quoties a medio altaris descendit in planum.

Humeros inclinat 1. Ad „Deus tu conversus". 2. „Oramus te, Domine". 3. „In spiritu humilitatis". 4. „Suscipe, sancta trinitas". 5. „Sanctus" usque ad „Benedictus" exclusive. 6. Sub utraque consecratione. 7. Sub tribus orationibus ante communionem. 8. „Domine, non sum dignus".

Caput tantum inclinat 1. ad „Gloria patri" in Introitu et psalmis Judica et Lavabo. 2. ad „Gloria in excelsis", dum dicit „Deo", „Adoramus", „Gratias agimus", „Jesu Christe", „Suscipe deprecationem". 3. Quoties dicit „Oremus", pronuntiat

nomen Jesu, Mariae, Sancti, de quod fit missa, et in Commemoratione Papae. 4. Ad „Credo“, dum dicit „unum Deum“, „Jesum Christum“, „Adoratur“. 5. Ad „Deo nostro“ in „Gratias agamus“ ante Praefationem. 6. Ad Memento pro vivis. 7. Ad „tibi gratias agens“ ante consecrationem et sub consecratione ipsa, si altare tam altum sit, ut cubitorum impositio non majorem, quam solius capitis inclinationem requirat. 8. Ad „per Dominum nostrum“ ante „Nobis quoque peccatoribus“. 9. Ad tres „Agnus Dei“. 10. Ad „Placeat tibi sancta.“ 11. Ad Benedictionem, dum dicit „Omnipotens Deus“. Porro omnes istae capitis flexiones fiunt versus crucem, praeterquam ad nomen Jesu sub Evangelio, item nomina Mariae, Sanctorum, Papae, ad quae caput versus librum inclinatur, ex quo leguntur.

§. 4.

De caeremoniis manuum.

Manus in aëre extensas tenet ad Collectas, Praefationem et saepe sub Canone ita tamen, ut una palma alteram respiciat, digitique omnes simul jungantur, quorum summitas humerorum altitudinem distantiamque non excedat.

Eas usque ad humeros intra eorundem distantiam elevat et jungit 1. Ad „Gloria in excelsis“. 2. „Credo in unum Deum“. 3. „Veni sanctificator“. 4. „Sursum corda“ et „gratias agamas“. 5. ad initium canonis. 6. ad Memento utrumque. 7. ad „Benedicat

vos, omnipotens"; elevat autem, quin illas prius in profundum deprimat.

Manus sine elevatione jungit 1. quoties dicit „Oremus". 2. „Dominus vobiscum" ad populum. 3. Ad clausulas orationum „per Dominum" etc. „qui vivis, in unitate" etc. 4. Ad „Orate, fratres". 5. Ad „Sanctus". 6. Ad „De tuis donis ac datis" post consecrationem. 7. Ad „Supplices te rogamus". 8. Ad „Sacrosanctum Filii tui corpus".

Dum manus ante pectus junctas, sed altari non impositas tenet, extrema digitorum non altare, sed faciem respiciant celebrantis; tenet autem illas sic: 1. Quoties a medio recedit vel accedit. 2. Dum dicit ingressum, Kyrie, hymnum angelicum. 3. „Munda" ante Evangelium. 4. Credo, Offertorium, Sanctus. 5. „Oremus praeceptis salutaribus". 6. Antiphonam „Communio". 7. Clausulam Collectarum.

Manus junctas super altare ponit ita, ut parvis digitis, residuo manuum inter altare et se retento, frontem illius tangat 1. Ad „Oramus te, Domine". 2. Ad „In spiritu humilitatis". 3. Ad „Suscipe, sancta trinitas". 4. Ad „Te igitur, clementissime pater". 5. Etiam post consecrationem ad „Supplices te rogamus". 6. Ad orationes ante sumptionem. 7. Ad „Placeat tibi, sancta trinitas".

Extensas hinc inde aequaliter super altare ponit 1. Quoties illud osculatur. 2. Ad „per omnia" ante Praefationem et Pater noster. 3. Dum legit Epistolam, nisi libro imponere malit.

Sinistram super altare ponit 1. Dum signat oblata. 2. Ad „Libera nos, quaesumus.“ 3. Ad „Agnus Dei“, dum pectus percutit. 4. Ad „Sanguis Domini nostri“ etc. et „Quod ore sumpsimus“, patenam inter digitos tenens. 5. Ad Initium Evangelii s. Joannis, dum dextera signat altare.

Sinistram pectori admovet, 1. dum seipsum signat. 2. pectus percutit ad „mea culpa“. 3. populum benedicit.

Palmam dexterae ad se vertit, dum se signat; quando vero alia, summitatem digitorum junctorum simul et extensorum, rei, cui benedicit, obvertit, sicque tota manu extensa non per puncta, sed per tractus format rectam et transversam lineam crucis, magnitudinem palmae non excedentis; hostiam et calicem simul signans crucem in altitudine aequali ab isto ad illam format, vitando nimiam celeritatem.

§. 5.

De caeremoniis oculorum.

Oculos elevat et statim demittit 1. Ad „Munda“. 2. Ad „Veni sanctificator“. 3. Ad oblationem hostiae. 4. Ad „Suscipe, sancta trinitas“. 5. Immediate ante „Te igitur“. 6. Ad „Gratias agamus“, dum dicit „Deo nostro“. 7. Ad „Qui pridie“, dum dicit „et elevatis oculis“. 8. Ad „Benedicat vos omnipotens“.

Oculos elevatos tenet ad totam oblationem calicis ac sub elevatione utriusque speciéi.

Demissos tenet praesertim 1. In accessu et recessu ab altari. 2. Dum ad populum dicit „Dominus vobiscum", „Orate, fratres". 3. Sub oblatione hostiae. 4. Ad Memento. 5. Sub benedictione populi.

§. 6.

De variatione vocis.

Triplex in missa vox adhibetur: alta, i. e. clara et a circumstantibus intelligibilis, non tamen clamosa; media, seu talis, quae a ministro percipi possit; et submissa.

Alta voce dicuntur 1. Ingressus, Introitus, Kyrie, Gloria. 2. „Dominus vobiscum", „Oremus", Collectae, Epistola, Graduale, Tractus. 3. Evangelium, Credo, Offertorium, Praefatio. 4. Pater noster, „Pax Domini", et „Per omnia" praecedens. 5. Agnus Dei, Communio, Postcommunio. 6. „Ite missa est", Benedictio, Evangelium s. Joannis.

Media voce dicuntur 1. „Orate, fratres". 2. „Sanctus" usque ad Canonem. 3. „Nobis quoque peccatoribus". 4. „Domine, non sum dignus".

Cetera omnia praesertim verba consecrationis, dicuntur voce submissa.

I.

ACCESSUS ET RECESSUS
JUXTA
MISSALE ROMANUM
ET
BREVIARIUM CAMPIDONAE EDITUM.

PRÆPARATIO AD MISSAM PRO OPPORTUNITATE SACERDOTIS FACIENDA.

Antiphona.

Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Quae antiphona in festis duplicibus tantum duplicatur. Et tempore paschali additur in fine Alleluja. Deinde dicuntur sequentes Psalmi:

Psalmus 83.

Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum!* concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum et caro mea * — exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum:* et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua, Domine virtutum:* rex meus et Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua, Domine: * in saecula saeculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te :* ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco, quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem :* videbitur Deus deorum in Sion.

Domine, Deus virtutum, exaudi orationem meam:* auribus percipe, Deus Jacob.

Protector noster aspice, Deus: * et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis: * super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei,* magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam et veritatem diligit Deus:* gratiam et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia :*Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

Gloria Patri etc.

Psalmus 84.

Benedixisti, Domine, terram tuam:* avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuae :* operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam:* avertisti ab ira indignationis tuae.

Converte nos, Deus salutaris noster:* et averte iram tuam a nobis.

Numquid in aeternum irasceris nobis?* aut ex-

tendes iram tuam a generatione in generationem?

Deus, tu conversus vivificabis nos: * et plebs tua laetabitur in te.

Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam: * et salutare tuum da nobis.

Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus: * quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos, * et in eos, qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius: * ut inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia et veritas obviaverunt sibi: * justitia et pax osculatae sunt.

Veritas de terra orta est: * et justitia de coelo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem: * et terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulabit: * et ponet in via gressus suos.

Gloria Patri etc.

Psalmus 85.

Inclina, Domine, aurem tuam et exaudi me: * quoniam inops et pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die: * laetifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi.

Quoniam tu, Domine, suavis et mitis: * et multae misericordiae omnibus invocantibus te.

Auribus percipe, Domine, orationem meam: * et intende vocem deprecationis meae.

In die tribulationis meae clamavi ad te: * quia exaudisti me.

Non est similis tui in diis, Domine: * et non est secundum opera tua.

Omnes gentes, quascunque fecisti, venient et adorabunt coram te, Domine: * et glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu et faciens mirabilia: * tu es Deus solus.

Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua: * laetetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confiteor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo: * et glorificabo nomen tuum in aeternum.

Quia misericordia tua magna est super me: * et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quaesierunt animam meam: * et non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu, Domine Deus, miserator et misericors: * patiens et multae misericordiae et verax.

Respice in me, et miserere mei: * da imperium tuum puero tuo, et salvum fac filium ancillae tuae.

Fac mecum signum in bonum, ut videant, qui

oderunt me et confundantur: * quoniam tu, Domine, adjuvisti me et consolatus es me.

Gloria Patri etc.

Psalmus 115.

Credidi, propter quod locutus sum: * ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: * omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino * pro omnibus, quae retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam: * et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: * pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

O Domine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus et filius ancillae tuae.

Dirupisti vincula mea: * tibi sacrificabo hostiam laudis et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus: * in atriis domus Domini, in medio tui Jerusalem.

Gloria Patri etc.

Psalmus 129.

De profundis clamavi ad te, Domine: * Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes: * in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris, Domine: * Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: * et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: * speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: * speret Jsraël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: * et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Jsraël: * ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri etc.

Deinde repetitur antiphona:

Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra vel parentum nostrórum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Kyrie eleïson.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Pater noster etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Ego dixi, Domine miserere mei.
℟. Sana animam meam, quia peccavi tibi.
℣. Convertere, Domine, aliquantulum,
℟. Et deprecare super servos tuos.
℣. Fiat misericordia tua, Domine, super nos,
℟. Quemadmodum speravimus in te.

℣. Sacerdotes tui induantur justitiam.
℟. Et Sancti tui exultent.
℣. Ab occultis meis munda me, Domine.
℟. Et ab alienis parce servo tuo.
℣. Domine, exaudi orationem meam;
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Aures tuae pietatis, mitissime Deus, inclina precibus nostris, et gratia sancti Spiritus illumina cor nostrum: ut tuis mysteriis digne ministrare teque aeterna charitate diligere mereamur.

Deus, cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum: purifica per infusionem s. Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere et digne laudare mereamur.

Ure igne sancti Spiritus renes nostros et cor nostrum, Domine, ut tibi casto corpore serviamus et mundo corde placeamus.

Mentes nostras, quaesumus, Domine, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem.

Adsit nobis, quaesumus, Domine, virtus Spiritus sancti, quae et corda nostra clementer expurget et ab omnibus tueatur adversis.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere et de ejus semper consolatione gaudere.

Conscientias nostras, quaesumus, Domine, visitando purifica: ut veniens Dominus noster Jesus Christus, Filius tuus, paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum vivit etc.

ORATIONES

PRO OPPORTUNITATE SACERDOTIS ANTE CELEBRATIONEM ET COMMUNIONEM DICENDÆ.

ORATIO SANCTI AMBROSII EPISCOPI.

Die dominica.

Summe Sacerdos et vere Pontifex Jesu Christe, qui te obtulisti Deo Patri hostiam puram et immaculatam in ara crucis pro nobis miseris peccatoribus, et qui dedisti nobis carnem tuam ad manducandum et sanguinem tuum ad bibendum, et posuisti mysterium istud in virtute Spiritus sancti tui, dicens: „Haec quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis“, rogo per eundem sanguinem tuum, magnum salutis nostrae pretium; rogo per hanc miram et ineffabilem charitatem, qua nos miseros et indignos sic amare dignatus es, ut lavares nos a peccatis in sanguine tuo: doce me, servum tuum indignum, quem inter cetera dona tua etiam ad officium sacerdotale vocare dignatus es, nullis

meis meritis, sed sola dignatione misericordiae tuae: doce me, quaeso, per Spiritum sanctum tuum, tantum tractare mysterium ea reverentia et honore, ea devotione et timore, quibus oportet et decet. Fac me per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere et intelligere, sentire et firmiter tenere, dicere et cogitare, quod tibi placet et expedit animae meae. Intret spiritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono et sine strepitu verborum loquatur omnem veritatem; profunda quippe sunt nimis et sacro tecta velamine. Propter magnam clementiam tuam concede mihi, missarum solemnia mundo corde et pura mente celebrare. Libera cor meum ab immundis et nefandis, vanis et noxiis cogitationibus. Muni me beatorum angelorum pia et fida custodia ac tutela fortissima, ut hostes omnium bonorum confusi discedant. Per virtutem tanti mysterii et per manum sancti angeli tui repelle a me et a cunctis servis tuis durissimum spiritum superbiae et coenodoxiae, invidiae et blasphemiae, fornicationis et immunditiae, dubietatis et diffidentiae. Confundantur qui nos persequuntur, pereant illi, qui nos perdere festinant.

Feria II.

Rex virginum et amator castitatis et integritatis! coëlesti rore benedictionis tuae extingue in corpore meo fomitem ardentis libidinis, ut maneat in me tenor castitatis corporis et animae. Mortifica in

membris meis carnis stimulos omnesque libidinosas commotiones, et da mihi veram et perpetuam castitatem cum ceteris donis tuis, quae tibi placent in veritate, ut sacrificium laudis casto corpore et mundo corde valeam tibi offerre. Quanta enim cordis contritione et lacrymarum fonte, quanta reverentia et tremore, quanta corporis castitate et animae puritate istud divinum et coeleste sacrificium est celebrandum, ubi caro tua in veritate sumitur, et sanguis tuus in veritate bibitur, ubi ima summis, terrena divinis junguntur, ubi adest sanctorum angelorum praesentia, ubi tu es sacrificium et sacerdos mirabiliter et ineffabiliter constitutus!

Feria III.

Quis digne hoc celebrare poterit, nisi tu, Deus omnipotens, offerentem feceris dignum? Scio, Domine, et vere scio et idipsum pietati tuae confiteor, quia non sum dignus accedere ad tantum mysterium propter nimia peccata mea et infinitas negligentias meas. Sed scio et veraciter ex corde meo credo et ore confiteor, quia tu potes me facere dignum, qui solus potes facere mundum de immundo conceptum semine et de peccatoribus justos et sanctos. Per hanc omnipotentiam tuam te rogo, Deus meus, ut concedas mihi peccatori hoc sacrificium celebrare cum timore et tremore, cum cordis puritate et lacrymarum fonte, cum laetitia spirituali et coelesti gaudio. Sentiat mens mea dulcedinem beatissimae praesentiae

tuae et excubias sanctorum angelorum tuorum in circuitu meo.

Feria IV.

Ego enim, Domine, memor venerandae passionis tuae accedo ad altare tuum, licet peccator, ut offeram tibi sacrificium, quod tu instituisti et offerri praecepisti in commemorationem tui, pro salute nostra. Suscipe illud, quaeso, summe Deus, pro ecclesia sancta tua et pro populo, quem acquisisti sanguine tuo. Et quoniam me peccatorem inter te et eundem populum tuum medium esse voluisti, licet in me aliquod boni operis testimonium non agnoscas, officium saltem dispensationis creditae non recuses, nec per me indignum eorum salutis pereat pretium, pro quibus victima salutaris dignatus es esse redemptio. Profero etiam, Domine, (digneris propitius intueri) tribulationes plebium, pericula populorum, captivorum gemitus, miserias orphanorum, necessitates peregrinorum, inopiam debilium, desperationes languentium, defectus senum, suspiria juvenum, vota virginum, lamenta viduarum.

Feria V.

Tu enim misereris omnium, Domine, et nihil odisti eorum, quae fecisti. Memorare, quae sit nostra substantia, quia tu pater noster es, quia tu Deus noster es: ne irascaris satis, neque multitudinem viscerum tuorum super nos contineas. Non enim

in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Aufer a nobis iniquitates nostras et ignem sancti Spiritus in nobis clementer accende. Aufer cor lapideum de carne nostra et da nobis cor carneum, quod te amet, te diligat, te delectetur, te sequatur, te perfruatur. Oramus, Domine, clementiam tuam, ut sereno vultu familiam tuam sacri tui nominis officia praestolantem aspicere digneris; et ut nullius sit irritum votum, nullius vacua postulatio, tu nobis preces suggere, quas ipse propitius audire et exaudire delecteris.

Feria VI.

Rogamus etiam te, Domine, sancte Pater, et pro spiritibus fidelium defunctorum: ut sit illis salus, sanitas, gaudium et refrigerium; hoc magnum pietatis Sacramentum, Domine, Deus meus, sit illis hodie magnum et plenum convivium de te, pane vivo, qui de coelo descendisti et das vitam mundo; de tua carne sancta et benedicta, Agni videlicet immaculati, qui tollis peccata mundi, quae de sancto et glorioso Beatae Virginis Mariae utero est assumpta et de Spiritu sancto concepta; ac de illo pietatis fonte, qui per lanceam militis ex tuo sacratissimo latere emanavit, ut exinde refecti et satiati, refrigerati et consolati exultent in laude et gloria tua. Peto clementiam tuam, Domine, ut descendat super panem tibi sacrificandum plenitudo tuae benedictionis

et sanctificatio tuae divinitatis. Descendat etiam, Domine, illa sancti Spiritus tui invisibilis incomprehensibilisque majestas, sicut quondam in Patrum hostias descendebat, qui et oblationes nostras corpus et sanguinem tuum efficiat, et me indignum sacerdotem doceat, tantum tractare mysterium cum cordis puritate et lacrymarum devotione, cum reverentia et tremore, ita ut placide ac benigne suscipias sacrificium de manibus meis ad salutem omnium, tam vivorum quam defunctorum.

Sabbato.

Rogo etiam te, Domine, per ipsum sacrosanctum mysterium corporis et sanguinis tui, quo quotidie in ecclesia tua pascimur et potamur, abluimur et sanctificamur, atque unius summae divinitatis participes efficimur: da mihi virtutes tuas sanctas, quibus repletus bona conscientia ad altare tuum accedam, ita ut haec coelestia sacramenta efficiantur mihi salus et vita. Tu enim dixisti ore tuo sancto et benedicto: „Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum". Panis dulcissime, sana palatum cordis mei, ut sentiam suavitatem amoris tui. Sana illud ab omni languore, ut nullam praeter te sentiam dulcedinem. Panis candidissime, habens omne delectamentum et omnem saporem, qui nos semper reficis

et nunquam in te deficis, comedat te cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animae meae. Manducat te angelus ore pleno, manducet te peregrinus homo pro modulo suo, ne deficere possit in via, tali recreatus viatico. Panis sancte, panis vive, panis munde, qui descendisti de coelo et das vitam mundo: veni in cor meum et munda me ab omni inquinamento carnis et spiritus. Intra in animam meam, sana et munda me interius et exterius. Esto tutamen et continua salus animae et corporis mei. Repelle a me insidiantes mihi hostes; recedant procul a praesentia potentiae tuae, ut foris et intus per te munitus recto tramite ad tuum regnum perveniam, ubi non in mysteriis, sicut in hoc tempore, agitur, sed facie ad faciem te videbimus, cum tradideris regnum Deo et Patri et eris Deus omnia in omnibus. Tunc enim me de te satiabis satietate mirifica, ita ut nec esuriam, nec sitiam in aeternum: qui cum eodem Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. Amen.

Gregorius XIII,

Pontifex maximus, concessit cuilibet dicenti ante celebrationem missae, quae sequuntur, 50 annorum indulgentiam.

Ego volo celebrare missam et conficere corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, juxta ritum

sanctae romanae ecclesiae, ad laudem omnipotentis Dei totiusque curiae triumphantis; ad utilitatem meam totiusque curiae militantis et patientis; pro omnibus, qui se commendaverunt orationibus meis in genere et in specie, et pro felici statu sanctae romanae ecclesiae. Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitae, spatium verae poenitentiae, gratiam et consolationem sancti Spiritus, perseverantiam in bonis operibus tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Alia oratio ante missam.

Ad mensam dulcissimi convivii tui, pie Domine Jesu Christe, ego peccator de propriis meritis nihil praesumens, sed de tua confidens misericordia et bonitate accedere vereor et contremisco. Nam cor et corpus habeo multis criminibus maculatum, mentem et linguam non caute custoditam. Ergo, o pia Deitas, o tremenda majestas, ego miser inter angustias deprehensus ad te, fontem misericordiae recurro, ad te festino sanandus, sub tuam protectionem fugio, et quem judicem sustinere nequeo, salvatorem habere suspiro.

Tibi, Domine, plagas meas ostendo, tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa et magna, pro quibus timeo. Spero in misericordias tuas, quarum non est numerus. Respice ergo in me oculis misericordiae tuae, Domine Jesu Christe, rex aeterne, Deus et homo, crucifixus propter hominem.

Exaudi me sperantem in te; miserere mei, pleni miseriis et peccatis, tu qui fontem miserationis nunquam manare cessabis. Salve, salutaris victima, pro me et omni humano genere in patibulo crucis oblata! Salve, nobilis et pretiose sanguis, de vulneribus crucifixi Domini mei Jesu Christi profluens et peccata totius mundi abluens! Recordare, Domine, creaturae tuae, quam tuo sanguine redemisti. Poenitet me peccasse, cupio emendare quod feci. Aufer ergo a me, clementissime Pater, omnes iniquitates et peccata mea, ut purificatus mente et corpore digne degustare merear sancta sanctorum; et concede, ut sancta praelibatio corporis et sanguinis tui, quam ego indignus sumere intendo, sit peccatorum meorum remissio, sit turpium cogitationum effugatio ac bonorum sensuum regeneratio operumque tibi placentium salubris efficacia, animae quoque et corporis contra inimicorum meorum insidias firmissima tuitio. Amen.

Oratio s. Thomae Aquinatis.

Omnipotens, sempiterne Deus! ecce accedo ad sacramentum unigeniti Filii tui, Domini nostri Jesu Christi; accedo tamquam infirmus ad medicum vitae, immundus ad fontem misericordiae, caecus ad lumen claritatis aeternae, pauper et egenus ad Dominum coeli et terrae. Rogo ergo immensae largitatis tuae abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare foeditatem, illuminare caecitatem,

ditare paupertatem, vestire nuditatem: ut panem angelorum, regem regum et dominum dominantium tanta suscipiam reverentia et humilitate, tanta contritione et devotione, tanta puritate et fide, tali proposito et intentione, sicut expedit saluti animae meae. Da mihi, quaeso, dominici corporis et sanguinis non solum suscipere sacramentum, sed etiam rem et virtutem sacramenti. O mitissime Deus! da mihi corpus unigeniti Filii tui, Domini nostri Jesu Christi, quod traxit de Virgine Maria, sic suscipere, ut corpori mystico merear incorporari et inter ejus membra connumerari. O amantissime Pater! concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono, revelata tandem facie perpetuo contemplari, qui tecum vivit et regnat etc.

Quia sacerdos aut tacita mentis cogitatione aut submissa vocis expressione debet recitare singillatim nomina eorum, pro quibus in illa celebratione vult singulariter orare (ut insinuatur per illas litteras N. N. in canone contentas), et ne hujusmodi determinatarum personarum nominatio ob multitudinem aut incertum ordinem ingerat sacerdoti celebranti confusionem, non inutile erit sequentem servare ordinem ex 20. quaest. Quodlibet Doct. Subt. et ex aliorum gravissimorum Doctorum scriptis excerptum:

Memento, Domine, si tibi placet, vivorum:

1. Mei, parentum, cognatorum, fratrum, sororum et amicorum meorum omnium.

2. Coetus Cardinalium ac omnium Superiorum ordinis atque sacerdotum et sanctae ecclesiae ministrorum.

3. Omnium meae curae subjectorum, tamquam spiritualium filiorum, et omnium fundatorum, patronorum et benefactorum spiritualium et temporalium.

4. Omnium principum christianorum, dominationum et rerum publicarum temporalium.

5. Omnium peccantium inimicorumque meorum atque conversionis omnium haereticorum et infidelium.

6. Et omnium, pro quibus scis et vis me debere orare.

Memento, Domine, si tibi placet, mortuorum:

1. Animarum parentum, fratrum, sororum, cognatorum atque inimicorum omnium.

2. Animarum omnium benefactorum, tam spiritualium quam corporalium.

3. Animarum omnium mihi in genere et in specie commissarum.

4. Animarum praelatorum, sacerdotum et omnium ministrorum sanctae romanae ecclesiae Dei et apostolicae.

5. Animarum morte improvisa corporibus exutarum atque earum, quarum non est specialis memoria.

6. Animarum, quae mei occasione in purgatorio purgantur; earum quoque miserrime in purgatorio existentium.

7. Earum omnium, pro quibus scis et vis me debere orare.

GRATIARUM ACTIO
POST MISSAM.

Ant. Trium puerorum cantemus hymnum, quem cantabant sancti in camino ignis, benedicentes Dominum.

Quae Ant. in festis dupl. tantum duplicatur, et temp. pasch. additur in fine: Alleluja.

Canticum trium puerorum.

Benedicite, omnia opera Domini, Domino: * laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite, angeli Domini, Domino: * benedicite, coeli, Domino.

Benedicite, aquae omnes, quae super coelos sunt, Domino: * benedicite, omnes virtutes Domini, Domino.

Benedicite, sol et luna, Domino: * benedicite, stellae coeli, Domino.

Benedicite, omnis imber et ros, Domino: * benedicite, omnes spiritus Dei, Domino.

Benedicite, ignis et aestus, Domino: * benedicite, frigus et aestus, Domino.

Benedicite, rores et pruina, Domino: * benedicite, gelu et frigus, Domino.

Benedicite, glacies et nives, Domino: * benedicite, noctes et dies, Domino.

Benedicite, lux et tenebrae, Domino: * benedicite, fulgura et nubes, Domino.

Benedicat terra Dominum: * laudet et superexaltet eum in saecula.

Benedicite, montes et colles, Domino: * benedicite, universa germinantia in terra, Domino.

Benedicite, fontes, Domino: * benedicite, maria et flumina, Domino.

Benedicite, cete et omnia, quae moventur in aquis, Domino: * benedicite, omnes volucres coeli, Domino.

Benedicite, omnes bestiae et pecora, Domino: * benedicite, filii hominum, Domino.

Benedicat Israël Dominum: * laudet et superexaltet eum in saecula.

Benedicite, sacerdotes Domini, Domino: * benedicite, servi Domini, Domino.

Benedicite, spiritus et animae justorum, Domino: * benedicite, sancti et humiles corde, Domino.

Benedicite, Anania, Azaria, Misaël, Domino: * laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu: * laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Benedictus es, Domine, in firmamento coeli: * et laudabilis et gloriosus et superexaltatus in saecula.

Psalmus 150.

Laudate Dominum in sanctis ejus: * laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: * laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubae: * laudate eum in psalterio et cithara.

Laudate eum in tympano et choro: * laudate eum in chordis et organo.

Laudate eum in cymbalis bene sonantibus: * laudate eum in cymbalis jubilationis: omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri et Filio etc.

Deinde repetitur Ant.

Trium puerorum cantemus hymnum, quem cantabant sancti in camino ignis, benedicentes Dominum.

Kyrie eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison.

Pater noster etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem;

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua.

℟. Et Sancti tui benedicant tibi.

℣. Exultabunt sancti in gloria;

℟. Laetabuntur in cubilibus suis.

℣. Non nobis, Domine, non nobis;

℟. Sed nomini tuo da gloriam.

℣. Domine, exaudi orationem meam;
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

Actiones nostras, quaesumus, Domine, aspirando praeveni et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te coepta finiatur.

Da nobis, quaesumus, Domine, vitiorum nostrorum flammas extinguere, qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare: per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

ORATIONES
POST CELEBRATIONEM ET COMMUNIONEM DICENDÆ.

Oratio s. Thomae Aquinatis.

Gratias tibi ago, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui me peccatorem, indignum

famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiae tuae satiare dignatus es pretioso corpore et sanguine filii tui, Domini nostri Jesu Christi. Et precor, ut haec sancta communio non sit mihi reatus ad poenam, sed intercessio salutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei et scutum bonae voluntatis. Sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiae et libidinis exterminatio, charitatis et patientiae, humilitatis et obedientiae omniumque virtutum augmentatio; contra insidias inimicorum omnium, tam visibilium quam invisibilium, firma defensio; motuum meorum, tam carnalium quam spiritualium, perfecta quietatio; in te uno ac vero Deo firma adhaesio atque finis mei felix consummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorum perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo et Spiritu sancto sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata et felicitas perfecta: per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio s. Bonaventurae.

Transfige, dulcissime Domine Jesu, medullas et viscera animae meae suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, vera serenaque et apostolica sanctissima charitate, ut langueat et liquefiat anima mea solo semper amore et desiderio tui, te concupiscat et deficiat in atria tua, cupiat dissolvi et esse tecum. Da, ut anima mea te esuriat, panem

angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum, supersubstantialem, habentem omnem dulcedinem et saporem et omne delectamentum suavitatis. Te, in quem desiderant angeli prospicere, semper esuriat et comedat cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animae meae; te semper sitiat fontem vitae, fontem sapientiae et scientiae, fontem aeterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei; te semper ambiat, te quaerat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, te loquatur et omnia operetur in laudem et gloriam nominis tui, cum humilitate et discretione, cum dilectione et delectatione, cum facilitate et affectu, cum perseverantia usque in finem; et tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, divitiae meae, delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies et tranquillitas mea, pax mea, suavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, sapientia mea, portio mea, possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa et firma et immobiliter semper sit radicata mens mea et cor meum. Amen.

Alia oratio post Communionem.

Anima Christi, sanctifica me,
Corpus Christi, salva me,
Sanguis Christi, inebria me,
Aqua lateris Christi munda me.
O bone Jesu, exaudi me,

Et ne permittas me separari a te,
Ab hoste maligno defende me,
In hora mortis meae voca me,
Et pone me juxta te,
Ut cum angelis tuis laudem te
In saecula saeculorum. Amen.

Alia oratio post missam.

Omnipotens, sempiterne Deus, conservator animarum mundique redemptor! me famulum tuum ante majestatem tuam prostratum benignissime respice; et sacrificium, quod in honore nominis tui, pro salute fidelium tam vivorum quam etiam defunctorum, et pro peccatis et offensionibus meis obtuli, piissime respice, iram tuam a me remove, gratiam et misericordiam mihi concede, januam paradisi mihi pande, ab omnibus malis me potenter eripe, et quidquid proprio commisi reatu clementer indulge. Sic in hoc saeculo in praeceptis tuis fac me perseverare, ut dignus electorum tuorum gregi copulari efficiar, te praestante, Deus meus, cujus nomen benedictum, honor atque regnum permanet in saecula saeculorum.

℟. Amen.

ORATIO
ANTE CRUCIFIXI IMAGINEM DICENDA, CUM PLENARIA INDULGENTIA.

En ego, o bone et dulcissime Jesu, ante conspectum tuum genibus me provolvo ac maximo animi ardore te oro atque obtestor, ut meum in cor vividos fidei, spei et charitatis sensus atque veram peccatorum meorum poenitentiam eaque emendandi firmissimam voluntatem velis imprimere, dum magno animi affectu et dolore tua quinque vulnera mecum ipse considero ac mente contemplor, illud prae oculis habens, quod jam in ore ponebat suo David propheta de te, o bone Jesu: „Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.“ (Ps. 21, 17. 18.)

QUINQUE PUNCTA
ANTE VEL POST COMMUNIONEM UTILISSIME RECITANDA.

I.

Detestor et abominor omnia et singula peccata mea et omnium aliorum commissa ab initio mundi usque in hanc horam et deinceps usque ad finem mundi committenda, et si possem, impedirem per gratiam Dei, quam supplex invoco.

II.

Laudo et approbo omnia bona opera facta a principio mundi usque in hanc horam et deinceps usque in finem mundi facienda, et si possem, ea multiplicarem per gratiam Dei, quam supplex invoco.

III.

Intendo omnia facere, dicere et cogitare ad majorem Dei gloriam, cum omnibus illis bonis intentionibus, quas Sancti unquam habuerunt, vel habebunt, vel habere possunt.

IV.

Ignosco et dimitto ex toto corde omnibus inimicis meis, omnibus me calumniantibus, omnibus mihi detrahentibus, omnibus quocunque modo mihi nocentibus vel volentibus mala.

V.

Utinam omnes homines salvare possem moriendo pro singulis, lubenter id facerem per gratiam Dei, quam supplex invoco, et sine qua nihil possum.

Rythmus s. Thomae ad sacram Eucharistiam.

Adoro te, devote latens Deitas,
Quae sub his figuris vere latitas.
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia te contemplans totum deficit.

Visus, tactus, gustus in te fallitur:
Sed auditu solo tuto creditur.
Credo quidquid dixit Dei Filius
Nil hoc verbo veritatis verius.

In cruce latebat sola Deitas,
At hic latet simul et humanitas:
Ambo tamen credens atque confitens
Peto, quod petivit latro poenitens.

Plagas, sicut Thomas, non intueor,
Deum tamen meum te confiteor:
Fac me tibi magis semper credere,
In te spem habere, te diligere.

O memoriale mortis Domini,
Panis vivus, vitam praestans homini!
Praesta meae menti de te vivere,
Et te illi semper dulce sapere.

Pie pellicane, Jesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine,
Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.

Jesu, quem velatum nunc aspicio,
Oro, fiat illud, quod tam sitio:
Ut te revelata cernens facie
Visu sim beatus tuae gloriae.
Amen.

II.

PRECES ANTE ET POST MISSAM

IN TOTAM HEBDOMADEM

DISPOSITAE

EX

„MEMORIALI VITAE SACERDOTALIS“

CLAUDII ARVISENET.

DIE DOMINICA.

Ante missam.

1. *Dirige intentionem.* — O summe ac potentissime Deus! in laudem et gloriam supremae majestatis tuae; in memoriam sanctissimae vitae, passionis ac mortis Jesu Christi, salvatoris mei; in gratiarum actionem pro omnibus donis et beneficiis tuis mihi indigno peccatori et toti ecclesiae tuae concessis; in propitiationem pro innumeris peccatis meis; pro salute mea et proximorum N. N., pro solatio quoque defunctorum N. N. etc.: ego indignus peccator, ss. corporis et sanguinis Filii tui mysteria recolere et recipere cupio. Vere, Domine, in te solo totum est, quod satiare possit cordis mei desiderium. Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Nonne tu ipse eris merces nostra magna nimis? —

2. *Actum elice contritionis.* — Sed et sacrificium spiritus contribulati tibi, mi Domine, una cum sacrificio et sacramento corporis et sanguinis Filii tui, salvatoris mei, humiliter offero. Doleo enim ex intimo corde, quod te Deum meum,

summe bonum, et in me tam beneficum, ac toties in sacramento me reficientem unquam offenderim peccatis meis, praesertim talibus N. N., quae tu nosti, o scrutator cordium, sed et miser ego peccator in amaritudine animae meae dolens confiteor. Utinam nunquam offendissem te! Sed cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies; tu qui amore nostri dedisti nobis Unigenitum tuum, ut nos lavaret a peccatis nostris in sanguine suo.

3. *Exerce actum fidei.* — Equidem credo firmiter, o bone Jesu, et viva fide confiteor, quia tu ipse, Deo Patri aequalis in gloria et potestate, verus Deus et homo, vere et realiter praesens es in hoc sacramento. Tu enim ipsa veritas dixisti: Hoc est corpus meum. Credo quidquid dixit Dei Filius: nihil hoc verbo veritatis verius. Adjuva, Domine, incredulitatem meam, adauge mihi fidem.

4. *Exerce spem.* — O Christe Jesu! sum quidem ego pulvis, cinis et peccator: sed tu Pater es misericordiarum et Deus totius consolationis. Quis unquam intellexit misericordias tuas? Nonne tu laborantes et oneratos vocas ad te, ut eos reficias? Nonne tu es refugium meum? Ad quem ergo irem? Tu solus verba vitae aeternae habes, tu solus consolaris me in omni tribulatione mea. Sum quidem aeger et infirmus, sed tu es salus mea; non est opus bene valentibus medico, sed male habentibus. Si solummodo pertransiens curabas omnes, si umbra Petri curabat infirmos: nonne ego confidere debeo,

quia, te intrante sub tectum meum et in me habitante cum plenitudine Divinitatis, sanabor ab infirmitatibus meis?

Igitur cum nihil te propitio mihi conscius sum, surgo et vado ad te, Patrem, medicum et refugium meum, sperans, quod haec communio futura mihi sit fidei, spei et charitatis augmentum, contra insidias inimicorum meorum firmissima tuitio, turpium cogitationum effugatio, hujus defectus et vitii N. exterminatio, operum tibi placentium et praesertim hujus virtutis N. salubris efficacia et tandem pignus futurae gloriae. Reposita est haec spes in sinu meo, quia miserator et misericors es et in promissis fidelissimus.

5. *Exerce charitatem.* — O dulcissime salvator, Christe Jesu! quanta fuit tui vis amoris, quae te traxit e sinu Patris in hanc lacrymarum vallem, ut humanam carnem assumeres, infinitas miserias, injurias, imo crucem mortemque subires, idque solum propter miseros nos homines et propter nostram salutem!

O quantus amor! Damnare nos poteras, et salvare maluisti! Nos rei eramus, et tu innocens subis supplicium, ut reos liberes!

Ex amore itaque ad nos in carnem venisti, et demum abiturus ex hoc mundo ad Patrem, in pignus amoris hoc sacramentum nobis reliquisti, ut modo prorsus novo et admirabili semper maneres nobiscum, tu, cujus deliciae sunt esse cum filiis hominum.

O Domine! quantum dignus es amari, qui tanta facis amore nostri! Diligam itaque te, Domine, fortitudo mea, refugium meum et liberator meus!

O Deus charitatis! Qui in charitate manet, in te manet. Cupio te suscipere in hoc sacramento, ut tibi firmius uniar amoris vinculo. Quis me separabit a charitate Christi, salvatoris mei! Utinam hoc nec vita nec mors nec ulla fortunae sors aut ulla creatura valeat!

6. *Exerce humilitatem.* — Sed quomodo audeo accedere ad te? Nonne tu, o Deus, Dominus, creator ac redemptor meus, rex coeli et terrae es? At quis ego? Vilis terrae vermiculus, pulvis et cinis, et quod indignius est, toties erga te inobediens et ingratus peccator. Vere, Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed memento, Domine, quia, cum esses Dominus omnium, assumpta servi forma venisti ad nos et familiariter egisti cum publicanis et peccatoribus; denique humiliasti temetipsum usque ad mortem. Illa, quaeso, te moveat humilitas, ut me vilem et humilem non despicias; sed clementer ad me venias aut venientem ad te benigne suscipias.

7. *Postula gratiam.* — O Pater aeterne! per merita Filii tui concede mihi gratiam digne celebrandi missam et recipiendi non solum sacramentum, sed etiam rem et virtutem sacramenti. Offero tibi humilitatem et sanctitatem gloriosae semper Virginis Mariae, fervorem et devotionem omnium san-

ctorum, ut illorum merita suppleant quidquid mea non valet infirmitas.

Domine Jesu! propitius esto mihi peccatori, et sacris mysteriis corporis et sanguinis tui fac me ita digne semper uti, ut copiosum inde fructum et robur contra omnes mundi, carnis ac daemonis insidias consequar, vitia et haec N. N. maxime fugiam; virtutes vero statui meo maxime necessarias, velut charitatem, humilitatem, puritatem etc. diligentius exerceam et fidelius tibi in dies servire studeam.

Spiritus sancte Deus! adsit mihi virtus tua, quae cor meum clementer expurgans dignum Christo Domino praeparet in me habitaculum, sicut fecit in beata Virgine Maria.

O sacratissima Virgo Maria, quae, Spiritu sancto cooperante, Deum et hominem purissimis visceribus concipere et portare meruisti: fac, ut ego eum digne in hoc sacramento recipere et portare valeam, et ut consequar spiritum hujus dilecti Filii tui.

O sancti Dei omnes! et vos praesertim dilecti patroni mei! succurrite mihi, quaeso, precibus vestris apud Deum, ut sic illum nunc in hoc sacramento possim recipere, ut aliquando eum in propria specie vobiscum merear videre. Fiat! Fiat!

Ad lucrandam indulgentiam 50 annorum hanc orationem recitabis:

Ego volo celebrare missam et conficere etc. pag. 40.

DIE DOMINICA.

Post missam.

8. *Adora et magnifica Dominum.* — O Jesu, dulcis hospes! prospere processeris ad hunc pauperculum et humilem servum! Intraveris fauste sub hoc angustissimum et vile tectum! Benedictus et superexaltatus, qui venisti in cor meum oriens ex alto!

O rex pacifice! fuga ex animo et corde meo catervas vanarum cogitationum, ut te solum, pacis auctorem, contemplari et diligere queat anima mea. Ecquid praeter te, o pax, tranquillitas et dulcedo cordis mei, quaerat et gustet anima mea?

O fons amoris perpetui! quomodo potero tui oblivisci, qui mei dignatus es recordari et teipsum mihi dare? Fecisti ultra omnem spem misericordiam cum servo tuo et ultra omne meritum gratiam et amicitiam exhibuisti. Quid retribuam tibi pro gratia ista?

Utinam possem tibi servire cunctis diebus vitae meae! Utinam vel uno die dignum servitium exhibere sufficerem! Vere tu es dignus omni servitio, omni honore et laude aeterna. Vere Dominus meus es, et ego pauper servus tuus, qui totis viribus teneor tibi servire nec unquam in laudibus tuis

debeo fastidire. Sic volo, sic desidero, et quidquid mihi deest tu digneris supplere.

Concede mihi, benignissime Jesu, gratiam tuam, ut mecum sit et mecum laboret mecumque usque in finem perseveret.

Da mihi semper desiderare et velle quod tibi magis acceptum est et carius placet. Tua voluntas mea sit, et mea voluntas tuam semper sequatur et optime ei concordet. Sit mihi unum velle et nolle tecum, nec aliud posse velle aut nolle, nisi quod tu vis et non vis.

Da mihi omnibus mori, quae in mundo sunt, et propter te amare contemni et nesciri in hoc saeculo. Da mihi super omnia desiderare in te quiescere et cor meum in te pacificare. Tu vera pax cordis, tu sola requies: extra te omnia sunt dura et inquieta. In hac pace in idipsum, hoc est in te uno, summo et aeterno bono, dormiam et requiescam. Amen.

9. *Gratias age.* — Quid retribuam tibi, Domine Jesu, pro omnibus, quae retribuisti mihi, praesertim hodie? Sollicitus mei dedisti mihi corpus tuum in cibum et sanguinem tuum in potum, et utrumque in pignus futurae gloriae. Quis audivit unquam tale? Quis vidit huic simile? Utinam aperiantur labia mea, et repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam, et enarrem universa mirabilia tua!

Magnificet anima mea Dominum tot tantisque affecta beneficiis, et exultet spiritus meus in Deo,

salutari meo; quia respexit humilitatem servi sui, et fecit mihi magna, qui potens est, et esurientem implevit bonis. Laudate Dominum, omnes gentes; laudate eum, omnes populi; quoniam confirmata est super nos misericordia ejus. Laudate eum, omnes angeli ejus; laudate eum, omnes virtutes ejus, reges terrae et omnes populi, principes et omnes judices terrae, juvenes et virgines, senes cum junioribus.

Sed et lingua mea, o pie Jesu, meditabitur justitiam tuam, tota die laudem tuam. Omnia ossa mea dicent: Domine! quis similis tibi? Potens es, Domine, et veritas tua in circuitu tuo; magnificus in donis tuis et sanctus in omnibus operibus tuis. Jucundum sit tibi eloquium meum; ego vero delectabor in te et in mandatis tuis exercebor. Tene manum dexteram tuam et in voluntate tua deduc me, ut aliquando cum gloria suscipias me. Amen.

10. *Offer Deo Patri Filium suum.* — Clementissime Pater, qui sic dilexisti me, ut Unigenitum tuum mihi dares in pretium et in cibum, et cum eo omnia: respice in faciem Christi tui, in quo tibi bene complaces. Hunc ergo dilectum Filium et cum eo cor meum retribuo tibi pro his, quae hodie retribuisti mihi. Complaceat tibi, Pater, hodie in illo ac per eum indignationem tuam avertas a me.

Ecce mediator Dei et hominum, Christus Jesus, advocatus et pontifex, qui interpellat pro me. Hunc ego offero tibi; ipsum, inquam, qui peccatum non fecit, sed tulit peccata mundi, et languores nostros

suo livore sanavit. Suscipe igitur, sancte Pater, hanc immaculatam hostiam in laudem et gloriam nominis tui, in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis tuis in me collatis, in remissionem quoque peccatorum meorum et in supplementum omnium defectuum meorum.

11. *Offer teipsum Christo.* — O Domine! quia ego servus tuus et filius ancillae tuae, abrenuntio satanae et omnibus operibus ejus et omnibus pompis ejus; tu solus Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum; tu solus pars haereditatis meae et calicis mei; tu es, qui restitues haereditatem meam mihi. Suscipe ergo solus universam libertatem meam, accipe memoriam, intellectum atque voluntatem omnem; quidquid habeo vel possideo mihi largitus es, id totum tibi restituo ac tuae prorsus voluntati trado gubernandum; amorem tui solum cum gratia mihi dones, et dives sum satis nec quidquam aliud ultra posco. S. Ignatius.

12. *Postula dona Dei.* — Omnipotens, sempiterne Deus, conservator animarum mundique redemptor! me famulum tuum ante majestatem tuam etc. pag. 51.

Domine, qui benedicis benedicentes te et sanctificas eos, qui in te confidunt: salva populum tuum et benedic haereditati tuae et custodi ecclesiae tuae plenitudinem. Sanctifica diligentes decorem domus tuae. Tu eis gloriam retribue per divinam potentiam tuam et ne derelinquas, Deus, sperantes

in te. Aegrotis da auxilium, remedium et consolationem. Peregrinantibus pacem tribue. Aërem tempera. Fructibus terrae benedic. Conserva in pace mundum, ecclesias, reges, sacerdotes et omnem populum tuum. Defunctis requiem praesta eorumque, qui dona obtulerunt, et pro quibus obtulerunt, memor esto. Eos, qui in quacunque tribulatione et angustia sunt, salva et nobis gratiam tribue.

13. *Ora B. V. Mariam.* — O serenissima et inclyta mater Domini nostri Jesu Christi, Virgo Maria! Regina mundi, quae eundem creatorem omnium creaturarum tuo sanctissimo utero fuisti digna portare, cujus idem sacratissimum corpus et sanguinem sumpsi: ad ipsum pro me misero peccatore intercedere digneris, ut quidquid in hoc ineffabili sacramento ignoranter, negligenter, irreverenter et accidentaliter omisi tuis precibus sanctissimis mihi indulgere dignetur, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

14. *Ora omnes sanctos.* — O Sancti Dei omnes, qui in carne viventes sic Domino servistis, ut jam cum ipso sine fine regnetis: adeste mihi, quaeso, precibus meritisque vestris, ut panis ille coelestis et viaticum divinum, quod modo sumpsi, mihi contra omnes infirmitates, pericula et insidias praestet robur et tutamen: ut in fortitudine cibi illius ambulem per hujus mundi desertum usque ad montem Dei et ibidem dulcissima illius fruitione

vobiscum jugiter gaudeam et eum una vobiscum laudem per omnia saecula. Amen.

15. *Conclusio.* — Anima Christi, sanctifica me etc. pag. 50.

Obsecro te, mitissime ac bone Jesu, ut haec immortalis hostia pro me tibi gratias referat, me tibi reconciliet, me tibi restituat mihique peccatori veniam tribuat et ad vitam perducat aeternam. Amen.

Ad lucrandam indulgentiam plenariam recites:

En ego, o bone et dulcissime etc. pag. 52.

FERIA II.

Ante missam.

16. Veni *), sancte Spiritus!
Et emitte coelitus
Lucis tuae radium.

Veni, Pater pauperum!
Veni, dator munerum!
Veni, lumen cordium!

Consolator optime!
Dulcis hospes animae!
Dulce refrigerium!

*) cum indulg. 100 dierum et infra Oct. Pentec. 300 dierum, a Pio VI. concessa.

In labore requies!
In aestu temperies!
In fletu solatium!

O lux beatissima!
Reple cordis intima
Tuorum fidelium.

Sine tuo numine
Nihil est in homine,
Nihil est innoxium.

Lava quod est sordidum,
Riga quod est aridum,
Sana quod est saucium.

Flecte quod est rigidum,
Fove quod est frigidum,
Rege quod est devium.

Da tuis fidelibus
In te confidentibus
Sacrum septenarium.

Da virtutis meritum,
Da salutis exitum,
Da perenne gaudium.
Amen.

℣. Emitte spiritum tuum, et creabuntur (alleluja),
℟. Et renovabis faciem terrae (alleluja).

Oremus.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

17. *Actus contritionis.* — Domine Deus meus! propitius esto mihi peccatori. Poenitet me peccasse; cupio emendare quod feci. Aufer a me, quaeso, omnes iniquitates meas, ut purificatus mente et corpore valeam ad sancta Sanctorum introire. Amen.

18. *Actus fidei.* — Domine Jesu Christe, qui es sacerdos in aeternum quique dixisti: „Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus“: ego credidi, quia tu es Christus, Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti et in hoc sacramento praesens redderis. Adauge mihi fidem.

19. *Actus spei.* — In te solo spem meam colloco, dulcissime Jesu! quia tu salus et virtus mea, tu refugium et firmamentum meum, tu fons omnium bonorum. Miserere mei et salva me, qui nunquam deseris sperantes in te.

20. *Actus charitatis.* — O quanta vis amoris cor tuum succendit, amantissime Jesu, cum transiturus de hoc mundo ad Patrem mensam parasti nobis habentem omne delectamentum et omnem saporem suavitatis! Pro hac tua ineffabili benignitate amo te, Deus meus! et ut nunquam cessem

amare te, amorem meum te ipso inflamma, qui esca et pabulum amoris es.

21. *Actus desiderii.* — Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, salvator meus, Domine Jesu! Trade te mihi, et sufficit. Nam praeter te nulla consolatio valet. Sine te esse nequeo et sine visitatione tua vivere non valeo.

22. *Actus humilitatis.* — Immense, tremende, potentissime et incomprehensibilis Deus! quis es tu, et quis sum ego, ut digneris venire ad me, mecum epulari et mansionem apud me facere? Domine! non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

23. *Intentionum directio.* — Domine Jesu Christe! in unione illius divinae intentionis, qua ipse in ultima coena et in ara crucis sacrificium corporis et sanguinis tui Deo Patri obtulisti, hoc idem sacrificium ei offerre intendo. Complaceat sibi, o Jesu, in te et per te propitius nobis sit in vitam aeternam.

24. Te precor, Domine Jesu Christe, pro omnibus illis, pro quibus orare decrevi, et quibus sum conjunctus, et qui mihi conjuncti sunt spirituali participatione, consanguinitate, affinitate, familiaritate, commendatione, devotione, eleëmosynarum largitione; qui pro me orant, pro quibus debitor sum, et qui se commendaverunt orationibus meis; pro cuncto populo christiano et pro dioecesi nostra; pro omnibus praelatis sanctae romanae ecclesiae et

universo clero, ut eos in tuo sancto servitio humiliter, fideliter et devote perseverare facias; pro omnibus fidelibus christianis, vivis atque defunctis in quacunque angustia et tribulatione positis: miserere et tribulatis succurre. Amen.

25. *Deprecatio.* — Ad mensam dulcissimi convivii tui, pie Domine Jesu Christe etc. pag. 41.

26. *Ad B. V. Mariam.* — Per te accessum habeamus ad Filium, o benedicta Virgo Maria, inventrix gratiae, genitrix vitae, mater salutis! et per te nos suscipiat qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostrae corruptionis, et humilitas tua, Deo tam grata, nostrae veniam impetret vanitati et superbiae. Copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, et foecunditas tua gloriosa foecunditatem nobis conferat meritorum. O Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra! tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repraesenta! Fac, o benedicta, per gratiam, quam invenisti; per praerogativam, quam meruisti; per misericordiam, quam peperisti, ut, qui, te mediante, fieri dignatus est particeps infirmitatis et miseriae nostrae, te quoque intercedente, participes faciat nos gloriae et beatitudinis suae Jesus Christus, Filius tuus, Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen. S. Bern.

27. *Ad Sanctos.* — Sancti Dei omnes, cives supernae patriae! succurrite infirmitati meae, fidem

meam et spem roborate, excitate in me igniculum amoris vestri, induite me veste nuptiali, ornate me donis, quibus abundatis: ut sine rubore introire valeam in locum tabernaculi admirabilis, in aulam coelesti convivii, in conspectu divinae majestatis. Amen.

Ad lucrandam indulgentiam 50 annorum recitabis:

Ego volo celebrare etc. pag. 40.

FERIA II.

Post missam.

28. *Pii affectus.* — Ecce Domine! jam habeo te, qui habes omnia. Possideo te, qui potes et possides omnia: ergo, o Deus meus et omnia, abstrahe cor meum a ceteris omnibus extra te, in quibus nihil nisi vanitas et afflictio spiritus. In te uno fixum sit cor meum, in te sit requies mea, ubi est thesaurus meus, summa veritas, vera felicitas et felix aeternitas.

Sentiat, o Jesu, mens mea dulcedinem praesentiae tuae; gustet, quam suavis sis, Domine: ut inescata amore tui nihil quaerat extra te, unde gaudeat, quia tu es gaudium cordis mei et pars mea Deus in aeternum.

Tu es medicus animae meae, qui languores nostros tuo livore sanasti. Ego vero sum infirmus ille, ad quem sanandum de coelo venisti. Itaque sana animam meam, quia peccavi tibi.

Tu es pastor meus, qui posuisti animam tuam pro ovibus tuis. Ecce ego ovis illa, quae perierat; et tamen dignaris me pascere corpore et sanguine tuo: suscipe me nunc in humeros tuos. Quid negabis mihi, qui te ipsum dedisti? Rege me, et nihil mihi deerit in loco pascuae, ubi me collocásti, donec ad pascua vitae aeternae perducar.

O lux vera, quae illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum: illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.

O ignis jugiter ardens et nunquam deficiens! ecce me tepidum et frigidum: ure renes meos et cor meum, ut ardeant amore tui. Ignem enim venisti mittere in terram, et quid vis, nisi ut accendatur?

O rex coeli et terrae, dives in misericordia! ecce ego egenus et pauper sum; tu nosti, ubi magis egeam; tu solus me ditare et juvare potes. Deus! adjuva me et ex thesauris bonitatis tuae succurre inopi animae meae.

O Dominus meus et Deus meus! ecce servus tuus sum ego: da mihi intellectum et excita affectum, ut sciam et faciam voluntatem tuam.

Tu es agnus Dei, agnus sine macula, qui tollis peccata mundi: tolle de me quod mihi nocet et

tibi displicet, et da quod nosti tibi placere et mihi prodesse.

Tu es amor meus et omne gaudium. Tu es Deus meus et omnia. Tu es pars haereditatis meae et calicis mei. Tu es, qui restitues haereditatem meam mihi.

O Deus meus et omnia! absorbeat, quaeso, mentem meam vis ignita et melliflua amoris tui, ut amore amoris tui mundo moriar, qui amore mei dignatus es in cruce mori, o Deus meus et omnia! Amen.

29. *Gratiarum actio et oblatio.* — Quis sum ego, bonitas infinita, ut me sacris altaribus adstare volueris tibique offerre de donis tuis sanctum sacrificium, hostiam immaculatam? Unde inveni hanc gratiam in oculis tuis, ut ostenderes in me divitias misericordiae tuae? Venite et audite, omnes angeli et Sancti Dei, et narrabo vobis quanta fecit Dominus animae meae. Nam cum essem abjectus in domo mea, de pulvere erexit me, et constituit me cum principibus populi sui, ut comederem panem et biberem vinum in mensa sua omnibus diebus vitae meae. Quas ego tibi gratias agam, clementissime Jesu, salvator mundi? Aut quid retribuam tibi pro omnibus, quae retribuisti mihi? Vere enim de te, sponso ecclesiae, illud Canticorum intelligitur: „Si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam". Tu omnia, quae habes,

mihi largitus es: corpus, sanguinem et divinitatem tuam; et si ego tribuam tibi omnem substantiam domus meae: corpus, animam et libertatem cum omnibus, quae nunc habeo vel habere possum, hoc quasi nihilum reputabitur in comparatione immensi et inaestimabilis doni tui. Tantum tibi debeo, quantum ipse vales, qui infinitus es; ideo debitum meum omnem facultatem meam excedit. Audeo tamen rogare te, ne despicias munusculum, quod tibi offero in simplicitate cordis mei dicens cum sponsa: „Dilectus meus mihi et ego illi". Nam sicut tu totum te mihi tradidisti in nutrimentum animae meae: ita ego me totum servituti tuae consecro, et quidquid habeo, quidquid sum, quidquid possum tibi penitus trado, ut me totum tibi vindices nec quidquam mei superesse patiaris.

30. *Petitio pro se.* — Concede mihi, quaeso, omnipotens et misericors Deus, quae tibi placita sunt ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere et perfecte adimplere.

Ad laudem et gloriam nominis tui ordina statum meum, et quod a me requiris, ut faciam, tribue, ut sciam, possim et velim, et da exequi, sicut oportet et expedit saluti animae meae.

Via mihi, quaeso, ad te sit tuta, recta et consummata, non deficiens inter prospera et adversa, ut in illis non extollar et in istis non deprimar. In prosperis gratias tibi referam et in adversis servem patientiam; de nullo gaudeam vel doleam,

nisi quod promoveat ad te, vel quod abducat a te. Nulli placere appetam vel displicere timeam, nisi tibi.

Omnia in charitate da facere, et quod ad cultum tuum non pertinet quasi mortuum reputare.

Vilescant mihi omnia transitoria propter te, et cara mihi sunt omnia tua, et tu, Deus meus, plus quam omnia. Delectet me omnis labor, qui est pro te, et taediosa sit mihi omnis quies, quae non est in te.

Frequenter et ferventer da mihi, dulcissime Domine, cor meum ad te dirigere et defectionem meam cum emendationis proposito dolendo pensare.

Fac me, Deus meus, humilem sine fictione, hilarem sine dissolutione, tristem sine dejectione, maturum sine gravitate, agilem sine levitate, veracem sine duplicitate, timentem sine desperatione, in te sperantem sine praesumptione, castum sine corruptione, proximum corripere sine indignatione ipsumque aedificare verbo et exemplo sine elatione, obedientem sine contradictione, patientem sine murmuratione.

Da mihi, dulcissime Jesu, cor pervigil, quod nulla a te abducat curiosa cogitatio; da immobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio; da invictum, quod nulla fatiget tribulatio; da liberum, quod nulla sibi vindicet violenta delectatio; da rectum, quod nulla seorsum obliquet sinistra intentio.

Largire mihi, dulcissime Deus meus, intellectum

te cognoscentem, diligentiam te quaerentem, sapientiam te invenientem, conversationem tibi placentem, perseverantiam te dulciter et fiducialiter expectantem, fiduciam te finaliter amplectentem. Da tuis poenis configi per poenitentiam, tuis beneficiis uti in via per gratiam et tandem tuis gaudiis in patria frui per gloriam. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen. S. Thom. Aquin.

31. *Petitio pro aliis.* — Domine, qui benedicis benedicentes te et sanctificas eos, qui in te confidunt: salva populum tuum et benedic haereditati tuae et custodi ecclesiae tuae plenitudinem. Sanctifica diligentes decorem domus tuae. Tu eis gloriam retribue per divinam potentiam tuam et ne derelinquas, Deus, sperantes in te. Aegrotis da auxilium, remedium et consolationem. Peregrinantibus pacem tribue. Aërem tempera. Fructibus terrae benedic. Conserva in pace mundum, ecclesias, reges, sacerdotes et omnem populum tuum. Defunctis requiem praesta eorumque, qui dona obtulerunt, et pro quibus obtulerunt, memor esto. Eos, qui in quacunque tribulatione et angustia sunt, salva et nobis gratiam tribue. Per preces et orationes, quas faciet pro nobis Domina omnium nostrum, Mater Dei, diva et sancta Maria, et sancti Michael, Gabriel et Raphael omnesque coelestes ordines; per orationes patriarcharum et prophetarum dominorumque patrum, apostolorum et omnium martyrum omnis

chori cruce signatorum, justorum piorum, sapientum virginum et angeli custodis benedicti, veniat benedictio eorum, charitas eorum, patientia eorum, auxilium eorum, et benedictio salvatoris nostri boni sit cum omnibus nobis usque in aeternum. Amen.

32. *Conclusio.* — Omnipotens, sempiterne Deus, conservator animarum mundique redemptor! me famulum tuum ante majestatem tuam prostratum benignissime respice, et sacrificium, quod in honore nominis tui pro salute fidelium, tam vivorum quam mortuorum, et pro peccatis et offensionibus meis obtuli, piissime recipe: iram tuam a me remove, januam paradisi mihi pande, ab omnibus malis me potenter eripe et quidquid proprio commisi reatu clementer indulge. Sic in hoc saeculo in praeceptis tuis fac me perseverare, ut dignus electorum gregi copulari efficiar, te praestante, Deus meus, cujus nomen benedictum, honor atque regnum permanet in saecula saeculorum. Amen.

Ad lucrandam indulgentiam plenariam recitabis:

En ego, o bone et dulcissime etc. pag. 52.

FERIA III.

Ante missam.

33. *Adora et gratias age.* — O dulcissime salvator, Christe Jesu! adoro te in toto corde meo, gratias ago tibi ex intimis visceribus animae meae, quod tanta charitate nos misere perditos redemeris pretio sanguinis tui; et in hujus amoris tui memoriam, necnon in pignus futurae gloriae, tam admirabili potentia, sapientia et bonitate dederis nobis in cibum et potum ipsum corpus et sanguinem tuum; denique ad haec divina mysteria me vilissimum peccatorem in numerum tuorum sacerdotum tua ineffabili clementia vocare dignatus sis.

34. *Confundere.* — Sed eheu, infelix ego homo, qui hactenus tam indigne vocatione tua vixi et toties et tam graviter te Deum meum offendi peccatis meis, praesertim his N. N. At nunc de illis doleo ex intimo corde meo ob amorem tui super omnia et deinceps tibi soli servire, placere et adhaerere propono.

35. *Offer.* — Proindeque nunc accedens ad mensam convivii tui ex omni affectu cordis mei dignissimum sacrificium corporis et sanguinis tui, quod tu ipse semel pro nobis in ara crucis obtulisti, pura et simplici intentione offero: ad laudem et gloriam

aeternae majestatis tuae; in memoriam sacratissimae incarnationis, vitae, passionis et mortis tuae; in gratiarum actionem pro omnibus donis et beneficiis toti coetui Electorum et mihi, licet indignissimo, hucusque praestitis vel unquam praestandis; in propitiationem peccatorum; pro salute quoque vivorum N. N. et solatio defunctorum N. N. Et utinam ex omni affectu, fervore et desiderio amicorum tuorum, seu jam regnantium in coelo vel adhuc militantium in terris, hoc tam grande pietatis opus peragere possim!

36. *Crede.* — Corde siquidem credo, mi Jesu, et ore confiteor, quia Pater aeternus, Deus seipso summe beatus, potens, perfectus et nullius egens, secundum suam infinitam misericordiam sic dilexit mundum, ut te, Filium suum unigenitum, nobis daret salvatorem. Credo quoque, quod tu ipse Patri aequalis per omnia ex vi immensae charitatis tuae de sinu patris descendisti in uterum Virginis et propter nos homines homo factus es. Credo, quod ex amore nostri hoc sacramentum in ultima coena instituens verum corpus et sanguinem tuum, i. e. teipsum nobis ad manducandum dedisti et denique Patri tuo factus obediens usque ad mortem temetipsum pro nobis hostiam in ara crucis obtulisti.

37. *Spera.* — Ideoque spero in te et magna fiducia venio ad te, o Domine, qui nostri causa tam mira facere et tam dira pati voluisti. Quid enim negabis, qui sic amasti, ut teipsum dares?

38. *Ama.* — Amo te quoque, o bone Jesu, ex tota virtute cordis mei et semper deinceps et in aeternum amabo, si tu dederis.

39. *Offer teipsum.* — Sed quid retribuam tibi, Domine, pro tanto munere et pro omnibus, quae retribuisti mihi? Ecce abnego memetipsum et totum me, i. e. corpus, animam et omnia mea in omne beneplacitum benignissimae voluntatis tuae plene resigno. Verum quid habeo, quod non acceperim? Quid est homo, si comparetur factori suo? Quid vilis creatura, vermis terrae, miser peccator, servus inutilis, poterit praestare Deo, creatori ac domino suo? Agnosco, quia pauper et inops sum, ideoque humilio me sub potenti manu tua: Tu vero, o Domine Jesu, utpote advocatus et mediator meus, dives in meritis et miserationibus, suscipe causam meam et ex thesauro immensae charitatis tuae fer opem inopiae meae; et pretium sanguinis tui omniumque meritorum tuorum repraesenta aeterno Patri tuo; et huc supple omnem defectum meum, praecipue hujus meae, heu! nimis modicae et imperfectae praeparationis, qua ad haec sancta mysteria venio: ut sic ei per te placeat obsequium indignissimae servitutis meae.

40. *Postula.* — Fac etiam, o bone Jesu, per omnes miserationes tuas, ut hoc tremendum mysterium et admirabile donum charitatis tuae debita semper fide, reverentia et gratitudine prosequar idque puro et ardenti corde nunc et semper re-

cipiam, statum hunc quoque sacerdotalem, ad quem me ex singulari gratia vocare dignatus es, charitate, castitate, humilitate, mansuetudine, patientia, sobrietate etc. moribusque tibi placitis et sacerdote fideli dignis excolere studeam; idque ut servitus mea magis tibi placeat, ad majorem gloriam tuam, ecclesiae utilitatem et propriam proximique salutem. Unde tandem supplex obsecro, ut per virtutem corporis et sanguinis tui abstrahas cor meum ab omnibus noxiis affectibus N. N., qui gustum et fructum hujus sacramenti impediunt, et intime tibi unias et incorpores, ut gustem, quam suavis sis, Domine, et unus tecum efficiar spiritus, ut tu in me et ego in te maneam, adeoque nihil sit, quod me unquam valeat separare a te. Nam tibi adhaerere mihi bonum est. Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? O pars mea, Deus, in aeternum!

41. *Invoca Sanctos.* — Ad vos quoque, o Sancti, amici Dei, supplex confugio. Te imprimis, o sanctissima Dei Mater, Virgo et patrona mea, quae gratia plena, Deum et hominem purissimis visceribus tuis meruisti portare. Et vos, o sancti N. et N. patroni, mihi singulariter electi et dilecti! vos modo videtis illum facie ad faciem et pleno ore manducatis panem illum, quem nonnisi per speculum in aenigmate aspicimus et speciebus velatum accipimus. Utinam vestro interventu adjutus hoc coelesti pane et viatico digne saepius reficiar in via,

ut tandem vobiscum eo satiari merear in patria. Amen.

Ad lucrandam indulgentiam 50 annorum recitabis:

Ego volo celebrare etc. pag. 40.

FERIA III.

Post missam.

42. ***Exulta Domino.*** **— Inveni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam. Te, mi Jesu, amplector. Te, amor et gaudium meum, obtineo. Te, cordis mei thesaurum, comprehendo, in quo omnia possideo. De omnibus necessitatibus meis erue me, Domine, et fac, ut tam plene sim tibi, quam tu mihi. Tu es, o Jesu, creator et plasmator meus: cor mundum crea in me et spiritum rectum innova in visceribus meis. Tu es rex et dominus meus: posside me, et nemo praeter te. Tu es doctor et magister meus: bonitatem et disciplinam et scientiam doce me. Tu es advocatus meus apud Deum Patrem: fac, ut avertat iram suam a me. Tu es, qui venturus es judicare vivos et mortuos: ne intres in judicium cum servo tuo. Tu es dilectus meus sponsus: desponsa me tibi in misericordia tua et miserationibus. Tu dux et defensor meus: pone**

me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me. Tu victima pro me factus es: in Domino sperans non infirmabor. Tu salvator et redemptor meus es: consumma opus tuum, et labor tuus non sit cassus. Tu es pars haereditatis meae et portio mea in terra viventium: haereditatem meam restitue mihi. Tu es gloria mea, corona et merces nostra magna nimis: admitte me in bona Domini, quae praeparasti diligentibus te. O Jesu, piissime Jesu, o Jesu, fili Mariae Virginis! infunde in me gratiam, sapientiam, charitatem, castitatem, humilitatem, ut possim te perfecte diligere, te laudare, te perfrui, tibi servire et in te gloriari nunc et in perpetuum. Amen.

43. *Jubila Deo, salutari tuo.* — Quam pulcher es, dilecte mi, dilecte votorum meorum, Christe Jesu! Quam pulcher es! quam bonus et amabilis! O unicae deliciae meae! o vita mea! o gaudium meum! o suavitas mea! o Deus meus et omnia! ad te suspiro, clamo, anhelo. Complector et amo te totis praecordiorum affectibus, quia tu es Deus, ipsissima bonitas, amor aeternus, sapientia inexhausta, potentia infinita, perfectio absoluta. Ecquid tandem me poterit separare a charitate tua? An voluptas brevis, opes caducae, honores falsi, nugae nugarum? Nec illae nec istae facient, o bone Jesu; mihi enim adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Adjuva me, pie Jesu, in sancto proposito meo; promissionum mearum ne me sinas unquam oblivisci. Sit mihi

sacratissimum sacramentum tuum contra omnium peccatorum meorum vulnera efficacissimum medicamentum ac omnis gratiae et virtutis complementum; sit contra omnia mala et pericula validissimum tutamentum aeternaeque beatitudinis solidissimum fulcimentum. Amen.

44. *Gratias age.* — O clementissime salvator, Christe Jesu! quam suavis es et mitis et multae misericordiae omnibus invocantibus te! Cum enim non essemus, divina potentia creasti nos; cum inimici tui essemus, a coelo veniens mira sapientia redemisti nos; et quia sine te tam corpore quam spiritu vivere, moveri et esse non possumus, immensa bonitate tua tot sacramentis et auxiliis gratiae nos usque conservas, imo corpus et sanguinem tuum, id est, te ipsum modo prorsus admirabili in hoc sacramento largiris. O charitas! o pietas! o novum et grande mysterium!

Tune, Deus meus, ad me venire dignaris? Rex ac dominus summae majestatis ad infimum servum? Deus ad hominem, creator ad creaturam? Unde hoc mihi, ut tu, Domine, venias ad me? O Deus et Dominus noster! quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Et quis narrabit potentias tuas et auditas faciet omnes laudes tuas? Ego quidem, etsi omnia membra mea verterentur in linguas, et omnes vitae meae respirationes in tui laudes et gratiarum actiones, attamen longe minor essem cunctis miserationibus tuis. Unde agnoscens in-

sufficientiam meam id unum votis omnibus exopto, ut omnes creaturae tuae mecum et pro me laudent et benedicant nomen tuum in aeternum.

45. *Offer.* — O Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui ex abundantia infinitae charitatis tuae dedisti mihi unigenitum Filium tuum: en ego miser peccator, nunc particeps factus corporis et sanguinis ejus, illum in pectore meo complectens et tanquam rem meam intime mihi conjunctam possidens, illum ipsum in unione charitatis, qua seipsum dedit in ara crucis, tibi offero. Ecce hic est thesaurus, Pater clementissime, in quo totam meam spem reposui; hae sunt divitiae, quas offero in satisfactionem debitorum meorum.

Aspice, pie Pater, in faciem Christi tui, et cum sit hic Filius tuus dilectus, in quo tibi bene semper complacuisti, qui mihi nunc intime conjunctus est, supplex rogo, ut me quoque aspicias oculis misericordiae tuae. Sub ejus protectione ac tutela, sub umbra meritorum ipsius compareo coram te, ut illum praecipue intuens me quoque clementer ac benigne respicias tanquam mancipium ejus ac servum perpetuum.

Ne permittas, obsecro, ut pereat illa anima, quae toties in se recipit Filium tuum, qui a te missus venit in mundum quaerere et salvum facere quod perierat. Hoc praesta mihi per infinitam misericordiam tuam. Amen.

46. *Invoca Dominum.* — Sit, quaeso, Domine,

haec praecellentissima hostia, qam tibi modo obtuli, in plenam emendationem, expiationem atque satisfactionem pro omnibus peccatis et negligentiis meis et pro peccatis totius mundi. Per illam instaura omnes ruinas meas spirituales et supple omnem inopiam meam. Per illam mortifica in me quidquid tibi displicet et effice me hominem secundum cor tuum. Per illam conforma spiritum, animam et corpus meum spiritui, animae et corpori sacrae humanitatis tuae meque totum luce divinitatis tuae illustra. Per illam largire, ut in te stabiliar, te perfecte et perseveranter diligam, intime tibi uniar ac totus in te transmuter, ad laudem nominis tui, quod invocatum est super nos.

Converte, Domine, miseros peccatores; revoca haereticos atque shismaticos; illumina infideles te ignorantes; adesto omnibus, qui in necessitate et tribulatione aliqua constituti sunt; adesto his, qui se meis precibus commendarunt aut commendati esse cupiunt; adesto parentibus, propinquis et benefactoribus, vivis et defunctis. Miserere omnium, pro quibus orare debeo, et tu rogari vis; da vivis veniam et gratiam; da fidelibus defunctis requiem lucemque sempiternam. Tibi laus, Christe Jesu, in saecula saeculorum. Amen.

47. *Ora B. V. Mariam.* — O Maria, Virgo et Mater sanctissima! ecce suscepi dilectissimum Filium tuum, quem immaculato utero tuo concepisti, genuisti, lactasti atque sanctissimis amplexibus strin-

xisti. Ecce cujus aspectu laetabaris, omnibus deliciis replebaris, illum ipsum tibi humiliter et amanter repraesento et offero tuis purissimis brachiis amplexandum, toto corde amandum, sanctissimae trinitati in supremum latriae cultum pro tui ipsius honore et gloria et pro meis totiusque mundi necessitatibus offerendum. Tu maternam vim apud Deum obtines, et fieri non potest, ut non exaudiaris. Sit igitur pietatis tuae ipsam, qua apud eum vales, gratiam notam facere mundo, sanctis tuis precibus obtinendo reis veniam, medelam aegris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adjutorium et liberationem. Amen.

48. *Ora omnes sanctos.* — Omnes Sancti et Sanctae Dei, consolatio pauperculae animae, vos praesertim patroni et protectores mei! aspicite magistrum, auctorem et praemium sanctitatis vestrae ac universam vestram felicitatem intra viscera mea manentem mihique ab ipso, cui vos tantopere verbo et exemplo in hac vita conformastis, vestris intercessionibus impetrate, ut vestra semper vestigia sequar et ut ad scopum mihi propositae perfectionis ac tandem plenus meritis ad vestrum merear consortium pervenire.

49. *Conclusio.* — Recedo a te modicum, Domine Jesu, sed non sine te, consolatio, felicitas et omne bonum animae meae, et me amantissimo cordi tuo, cum omnibus fratribus, amicis et inimicis meis humillime commendo. Ama nos, Domine, et trans-

forma quam simillime in te. Totus occuper in te et propter te, nihilque sit objectum verborum meorum actionumque mearum internarum et externarum, nisi tu, amor meus, qui vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. Amen.

Ad lucrandam indulgentiam plenariam recitabis:

En ego, o bone et dulcissime etc. pag. 52.

FERIA IV.

Ante missam.

50. ***Directio intentionis.*** — **Domine Deus! ego indignus servus tuus intendo hoc mane, quam maximo possum amoris, reverentiae et devotionis affectu, sanctissimum missae sacrificium majestati tuae, cui soli debetur, offerre juxta ritum sanctae romanae ecclesiae; et ex nunc offero illud una cum omnibus sacrificiis tibi gratissimis simulque pretium sanguinis Domini Jesu, merita beatae Virginis et omnium Sanctorum totiusque ecclesiae preces et laudes, in unione illius sacrificii, quod Christus in ultima coena instituit et in cruce consummavit factus ipse sacerdos et victima, affectu et nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi et ejus sponsae ecclesiae,**

ex puro tui amore ac desiderio beneplaciti tui semper et in omnibus perficiendi.

Offero tibi illud in protestationem supremae et increatae tuae excellentiae, dominii tui in omnes creaturas et nostrae subjectionis ac dependentiae a te; in gratiarum actionem omnium beneficiorum ulli unquam creaturae collatorum et conferendorum; in plenam abolitionem omnis injuriae ab ullo unquam tibi irrogatae vel inferendae; ac in cultum latriae tibi soli debitum, cum omnibus adorationibus Christi, beatae Virginis et omnium Sanctorum et angelorum; item in augmentum gaudii humanitatis Domini nostri Jesu Christi, memoriam vitae, passionis ejusdem et in augmentum gloriae ac beatitudinis immaculatae Virginis omniumque angelorum et Sanctorum.

Offero etiam illud in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis mihi collatis; in satisfactionem pro peccatis meis, de quibus summopere doleo propter offensam et injuriam, quam tibi irrogavi; et pro omnibus meis praesentibus et futuris animae et corporis necessitatibus.

Offero demum pro omnibus vivis atque defunctis, pro quibus Dominus noster Jesus Christus et beata Virgo, ejus mater, sciunt et volunt, ut sacrificem; pro parentibus, amicis, consanguineis ac benefactoribus meis; pro omni gradu sanctae catholicae ecclesiae; pro christianorum principum unione, haereseon et shismatum extirpatione et omnium infidelium nationum conversione; pro totius cleri et

omnium statuum religiosorum sanctificatione, conservatione et augmento; pro animarum in purgatorio existentium liberatione; maxime autem pro N. N., qui eleëmosynam dederunt aut reliquerunt, ut secundum eorum voluntatem hanc missam celebrarem, quibus intendo hunc fructum applicare, quantum scis me posse vel debere.

Respice ergo in me indignissimum famulum tuum, quem pro vivis et defunctis legatione apud te fungi voluisti; ut defunctis requiem indulgeas et vivis veniam gratiamque concedas tibi recte fideliterque serviendi et in amore tuo usque in finem perseverandi. Amen.

51. *Actus praecipuarum virtutum.* — Credo in te, Deus, prima veritas, propter infinitam auctoritatem tuam. Adoro te propter increatam excellentiam tuam. Spero in te propter immensam misericordiam tuam. Amo te propter summam amabilitatem et bonitatem tuam. Confundor et erubesco, quod te, bono infinito, non contentus exigua et apparentia bona quaesierim. Doleo de peccatis meis propter te, quem super omnia diligo, et paratus tibi in hac vita satisfacere propono, te adjuvante, plenam et perfectam emendationem. Tibi gratias ago pro universis, quibus me cumulare non cessas, beneficiis. Quidquid habeo vel possideo, id tibi totum restituo ac tuae prorsus voluntati trado gubernandum. Omnibus, qui me offenderunt, toto corde ignosco propter amorem tuum. Rogo te per

sanctissimam Filii tui passionem: miserere animae meae in egressu suo et perduc eam, omnibus sacramentis munitam, in vitam aeternam. Amen.

52. *Invocatio.* — Omnipotens, sempiterne Deus! ecce accedo etc. pag. 42.

53. *Ad B. V. Mariam.* — O mater pietatis et misericordiae, beatissima Virgo Maria! ego miser et indignus peccator ad te confugio toto corde et affectu et precor pietatem tuam, ut, sicut dulcissimo Filio tuo in cruce pendenti adstitisti, ita et mihi misero peccatori et sacerdotibus omnibus hic et in tota ecclesia ipsum hodie offerentibus clementer assistere digneris, ut tua gratia adjuti dignam et acceptabilem hostiam in conspectu summae et individuae Trinitatis offerre valeamus. Amen.

54. *Ad Sanctos.* — O Sancti et Sanctae Dei, quorum hodie memoriam celebramus in terris, ego miser et indignus peccator de vestris meritis confidens intendo hoc mane offerre sanctissimum sacrificium corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi pro vestro honore et gloria. Precor vos humiliter et devote, ut pro me hodie intercedere dignemini, quatenus tantum sacrificium digne et acceptabiliter offerre valeam et eum vobiscum et cum omnibus Electis ejus in aeternum laudare merear. Amen.

Ad lucrandam indulgentiam 50 annorum recitabis:

Ego volo celebrare etc. pag. 40.

FERIA IV.

Post missam.

55. *Adora.* — Adoro te supplex, latens Deitas, etc. pag. 53.

56. *Gratiarum actio.* — Gratias ago tibi, benigne Domine, benefactor animae meae, quod me dignum fecisti coelestium tuorum et immortalium mysteriorum. Sed quid retribuam tibi? Vere minor sum omnibus donis tuis. O clementissime Deus! accipe igitur laudes et gratiarum actiones, quas Filius tuus, salvator noster, in assumpta humanitate ab instanti incarnationis toto vitae suae decursu persolvit; et illas praecipue, cum instituens hoc sacramentum et quasi jam tum agnoscens impares nos esse gratiis tanto beneficio referendis, elevatis oculis in coelum ad te Deum, Patrem suum omnipotentem, omnium nostrum nomine tibi gratias egit.

Suscipe etiam, o mitissime Pater, illas gratiarum actiones, quas Beata Virgo, Filii tui mater, tibi obtulit, quando eum, quem ego ipse jam inclusum pectori meo complector, ipsa suis castissimis visceribus concepit, gestavit et peperit, necnon et illas, quas toto vitae suae tempore et potissimum quoties jam sublatum in coelos in sacramento recepit, ex ardenti cordis desiderio et intima devotione persolvit.

Benedicant quoque et laudent te omnes angelici spiritus, qui throno majestatis tuae jugiter et trementes assistunt et cantant incessabili voce dicentes: sanctus, sanctus, sanctus.

Desidero quoque ex toto corde, ut omnes Sancti et amici tui tecum modo regnantes in coelis, quorum communionem credimus, meam insufficientiam compensent suis dignissimis laudibus, quas unquam hic in terris in usu et veneratione hujus sacramenti devotissime obtulerunt, et quas tibi modo decantant, cum revelata facie comedunt panem vitae et torrente voluptatis tuae potantur. Participem me fac, Deus, omnium timentium te et custodientium mandata tua.

O utinam pariter omnium piorum fidelium affectus, fervores et omnia tibi in terris placentium vota, desideria et merita in me unum colligere possem et sic tota animi intentione te amare et honorare pro tanto amore et honore, quo me in hoc sacramento dignatus es.

57. *Postulatio.* — Credo, Domine, sed credam firmius. Spero, Domine, sed sperem securius. Amo, Domine, sed amem ardentius. Doleo, Domine, sed doleam vehementius.

Adoro te ut primum principium, desidero ut finem ultimum, laudo ut benefactorem perpetuum, invoco ut defensorem propitium.

Tua me sapientia dirige, justitia contine, clementia solare, potentia protege.

Offero tibi, Deus, cogitanda, ut sint a te; dicenda, ut sint de te; facienda, ut sint secundum te; ferenda, ut sint propter te.

Volo quidquid vis; volo quia vis; volo quomodo vis; volo quamdiu vis.

Oro, Domine, ut intellectum illumines, voluntatem inflammes, corpus emundes, animam sanctifices.

A superbia non inficiar, adulatione non afficiar, a mundo non decipiar, a satana non circumveniar.

Gratiam praesta memoriam purgandi, linguam frenandi, oculos cohibendi, sensus coërcendi.

Defleam praeteritas iniquitates, repellam futuras tentationes, corrigam vitiosas propensiones, excolam idoneas virtutes.

Tribue mihi, bone Deus, amorem tui, odium mei, zelum proximi, contemptum mundi.

Studeam superioribus obedire, inferioribus subvenire, amicis consulere, nemini invidere.

Meminerim, o Jesu, mandati tui et exempli, inimicos diligendo, injurias sufferendo, persequentibus benefaciendo, pro calumniantibus orando.

Vincam voluptatem austeritate, avaritiam largitate, iracundiam lenitate, tepiditatem pietate.

Redde me prudentem in consiliis, constantem in periculis, patientem in adversis, humilem in prosperis.

Fac, Domine, ut sim in oratione attentus, in epulis sobrius, in munere sedulus, in proposito firmus.

Curem habere sanctitatem interiorem, modestiam exteriorem, conversationem exemplarem, vitam regularem.

Naturae invigilem domandae, gratiae fovendae, legi servandae, saluti promerendae.

Sanctimoniam assequar sincera peccatorum confessione, fervida corporis Christi communione, continua mentis recollectione, pura cordis intentione.

Discam a te, Deus, quam tenue quod terrenum; quam grande quod divinum; quam breve quod temporaneum; quam durabile quod aeternum.

Da, mortem praeveniam, judicium pertimeam, infernum effugiam, paradisum obtineam. Per Christum Dominum nostrum. Amen. Clemens XI Papa.

58. *Deprecatio pro aliorum necessitatibus.* — O Domine, cujus viscera misericordiae patent omnibus, qui neminem vis perire, sed omnes homines salvos fieri ideoque pro omnibus mortem subiisti et hoc sacramentum instituisti: da, quaeso, sacerdotibus concordiam et innocentiam; regibus et principibus tranquillitatem et pacem; virginibus castitatem; Deo dicatis continentiam; conjugatis sanctimoniam; poenitentibus indulgentiam; justis perseverantiam; peccatoribus, ut mihi misero, veniam; viduis et orphanis protectionem; pauperibus sustentationem; peregrinantibus reditum; lugentibus consolationem; omnibus denique fidelibus christianis, vivis atque defunctis, gratiam et vitam sempiternam. Amen. S. August.

59. *Ad B. V. Mariam.* — O Domina mea, sancta Maria! me in tuam benedictam fidem ac singularem custodiam et in sinum misericordiae tuae hodie et quotidie et in hora exitus mei animam meam et corpus meum tibi commendo; omnem spem et consolationem meam, omnes angustias et miserias meas, vitam et finem vitae meae tibi committo; ut per tuam sanctam intercessionem et per tua merita omnia mea dirigantur et disponantur opera secundum tuam tuique Filii voluntatem. Amen.

60. *Ad Sanctos.* — O Sancti Sanctaeque Dei omnes et beati Spiritus angelici, quos Deus vultu suo semper laetificat, orare pro me non dedignemini. Saluto et veneror vos sincerasque Domino gratias ago, qui vos elegit et in suis benedictionibus praevenit. Eja, impetrate mihi veniam, impetrate gratiam et perfectam cum Deo unionem. Amen.

61. *Conclusio.* — Deus, cujus misericordiae non est numerus et bonitatis infinitus est thesaurus: piissimae majestati tuae pro collatis donis gratias agimus tuam semper clementiam exorantes, ut, qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad praemia futura disponas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ad lucrandam indulgentiam plenariam recitabis:

En ego, o bone et dulcissime etc. pag. 52.

FERIA V.

Ante missam.

PRECES EX IMITATIONE CHRISTI DECERPTÆ.

62. *Admiratio.* — Audivi vocem tuam, Domine: „Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos." O Sancte Sanctorum! ecce tu inclinas te ad me; tu vis esse mecum; tu invitas ad convivium tuum; tu mihi dare vis coelestem cibum et panem angelorum ad manducandum, non alium sane quam te ipsum, panem vivum, qui de coelo descendisti et das vitam mundo.

63. *Laudatio.* — O invisibilis conditor mundi, Deus! quam mirabiliter agis nobiscum! quam suaviter et gratiose cum electis tuis disponis, quibus temetipsum in sacramento sumendum proponis! Laetare, anima mea, et gratias age Deo pro tam nobili munere et solatio singulari in hac lacrymarum valle tibi relicto.

64. *Timor.* — Terrent me, Domine, delicta propria, et ad capienda tanta mysteria me reverberat impura conscientia mea. Provocat me dulcedo verborum tuorum, sed onerat me multitudo

vitiorum meorum. Quis ego sum, Domine, ut ad te praesumam accedere? Quomodo ausus ero venire ad te, qui nihil boni mihi conscius sum, unde possim praesumere? Quomodo te introducam in domum meam, qui saepius offendi benignissimam faciem tuam, quam reverentur angeli et archangeli, quam metuunt Sancti et Justi?

65. *Contritio.* — Peccavi, Domine, peccavi: miserere mei, ignosce mihi. Quid possum agere pro peccatis meis, nisi humiliter ea confitendo et lamentando et tuam propitiationem ardenter deprecando? Deprecor te: exaudi me propitius, Deus meus! Omnia peccata mea mihi displicent; nolo ea unquam amplius perpetrare, sed pro eis doleo et dolebo, quamdiu vixero. Dimitte mihi peccata mea propter nomen sanctum tuum. Ecce committo me misericordiae tuae, resigno me manibus tuis. Tu omnia delicta mea, quae a die, quo primum peccare potui, usque ad hanc horam commisi, pariter incende et combure igne charitatis tuae; dele universas maculas eorum; conscientiam meam ab omni delicto emunda et restitue mihi gratiam tuam, quam peccando amisi, omnia mihi plene indulgendo et in osculum pacis me misericorditer assumendo.

66. *Fides.* — Credo et confiteor, quia tu praesens es in altaris sacramento, Deus meus, Sanctus Sanctorum, creator omnium et dominus angelorum! Quidquid intelligere non valeo tibi, Deo omnipotenti, secure commendo; non fallis me;

Deus meus! Et si talia essent opera tua, ut facile ab humana ratione caperentur, non essent mirabilia nec ineffabilia dicenda. O quam admirabilis operatio tua, Domine! Quam potens virtus tua! Quam ineffabilis veritas tua! Dixisti enim, et facta sunt omnia, et hoc factum est, quod ipse jussisti.

67. *Spes.* — Super bonitate tua et magna misericordia tua, Domine, confisus, accedo aeger ad salvatorem, esuriens et sitiens ad fontem vitae, egenus ad regem coeli, servus ad dominum, creatura ad creatorem, desolatus ad meum pium consolatorem sperans, quod in hoc sacramento mihi conferatur spiritualis gratia, et reparabitur in anima mea virtus amissa, et per peccatum deformata redibit pulchritudo, et demum conservabitur cor meum et corpus immaculatum.

68. *Charitas.* — O dilecte mi! da me pro te omnes dilectos relinquere et te solum super omnia amare et te mihi viventi et morienti amicum retinere. Esse sine te gravis est infernus, et esse tecum dulcis paradisus. O thesaurus bonus! O bonum super omne bonum! O Deus meus et omnia! Intelligenti satis dictum est, et saepe repetere jucundum est amanti. Purifica, laetifica, clarifica et vivifica spiritum meum cum suis potentiis ad inhaerendum tibi jubilosis excessibus.

69. *Desiderium.* — Ecce, Domine, in te est totum, quod desiderare possum et debeo. Tu salus mea et redemptio, spes et fortitudo, decus et gloria.

Desidero te nunc devote ac reverenter suscipere. Cupio te in domum meam inducere, quatenus cum Zachaeo merear a te benedici ac inter filios Abrahae computari. Anima mea corpus tuum concupiscit; cor meum tecum uniri desiderat. Noli avertere faciem tuam a me; noli visitationem tuam prolongare; noli consolationem tuam abstrahere. Veni, Domine! veni ad paupérculum tuum et laetum fac eum; veni et satia me tua praesentia. Quamdiu hoc datum non fuerit, nec plenum gaudium erit.

70. *Invocatio.* — O beatissima gratia, quae pauperem spiritu virtutibus divitem facis: veni, descende ad me, reple me nunc consolatione tua, ne deficiat prae ariditate mentis anima mea. Obsecro, Domine Deus meus, praeveni servum tuum in benedictionibus dulcedinis tuae, ut ad tuum magnificum sacramentum digne ac devote merear accedere. Excita cor meum in te et a gravi torpore exue me. Quidquid mihi deest, Jesu bone, salvator sanctissime, tu pro me supple benigne ac gratiose. Da pauperi mendico tuo vel interdum modicum de cordiali affectu amoris tui in sacra communione sentire, ut fides mea magis convalescat, spes in bonitate tua proficiat, et charitas semel perfecte accensa et coeleste manna experta nunquam deficiat.

71. *Oratio ad B. V. Mariam.* — O intemerata et in aeternum benedicta, singularis atque incomparabilis Virgo genitrix Maria, gratissimum Dei templum, Spiritus sancti sacrarium, janua regni

coelorum, per quam post Deum totus vivit orbis terrarum: inclina, mater misericordiae, aures tuae bonitatis indignis supplicationibus meis et esto mihi miserrimo peccatori pia et propitia in omnibus auxiliatrix et in hac praesertim hora, qua dilectum Filium tuum, Dominum nostrum Jesum Christum, aeterno Patri oblaturus sum, ut nempe eum digne et acceptabiliter offerre valeam. Amen.

72. *Ad omnes angelos et Sanctos.* — Angeli, archangeli, throni, dominationes, principatus, potestates, virtutes coelorum, Cherubim atque Seraphim, omnes Sancti et Sanctae Dei, imprimis dilecti patroni! intercedere dignemini pro humili servo vestro, ut hoc sacrificium Deo omnipotenti digne valeam offerre, ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem meam totiusque ecclesiae suae sanctae. Amen.

73. Ad lucrandam indulgentiam 50 annorum recitabis:

Ego volo celebrare etc. pag. 40.

FERIA V.

Post missam.

PRECES EX IMITATIONE CHRISTI DECERPTÆ.

74. *Admiratio.* — O dilecte mi, electe ex millibus, in quo complacuit animae meae habitare omnibus diebus vitae suae! O pacifice mi, in quo pax summa, requies vera! O Deus abscondite, cujus sermo cum humilibus! O vere ineffabilis gratia tua! O vere admirabilis dignatio tua! O amor immensus, animae meae singulariter impensus! O Jesu! quanta est dulcedo in convivio tuo! O quam dulce mihi foret in praesentia tua ex intimo affectu lacrymas fundere et cum pia Magdalena pedes tuos lacrymis irrigare! Certe in conspectu tuo et sanctorum Angelorum tuorum totum cor meum ardere deberet et ex gaudio flere. O quam magnum suscepi dominum! Quam dilectum induxi hospitem! Quam jucundum recepi socium! Quam fidelem acceptavi amicum! Quam speciosum et nobilem amplector sponsum! O Jesu bone! sileant a facie tua coelum et terra et omnis ornatus eorum. Mane in secreto, anima mea, et fruere Deo tuo; ipsum enim habes, quem totus mundus tibi auferre non potest.

75. *Laudatio.* — O dulcissime salvator! laudent te universi populi, tribus et linguae et sanctum ac mellifluum nomen tuum cum summa jubilatione et ardenti devotione magnificent. Ecce omnium devotorum cordium jubilationes, spirituales affectus, mentales excessus ac supernaturales illuminationes et coelicas visiones tibi offero et exhibeo cum omnibus virtutibus et laudibus ab omni creatura in coelo et in terra celebratis et celebrandis. Accipe vota mea, Domine Deus meus, et desideria infinitae laudationis ac immensae benedictionis, quae tibi secundum multitudinem ineffabilis magnitudinis tuae jure debentur. Haec tibi reddo et reddere desidero per singulos dies et momenta temporum.

76. *Gratitudo.* — O benignissime Jesu! quanta tibi gratiarum actio pro susceptione sacri corporis tui debetur, cujus dignitatem nullus hominum explicare potens invenitur! Gratias tibi, o pastor aeterne, qui me pauperem et exulem dignatus es pretioso corpore et sanguine tuo reficere. O quid retribuam tibi, Domine, pro gratia ista, pro charitate tam eximia? Non est aliud, quod gratius dare queam, quam ut cor meum tibi, Deo meo, totaliter tribuam et intime conjungam. Dignare, Domine, manere mecum; ego volo libenter esse tecum. Hoc est totum desiderium meum, ut cor meum sit tibi unitum.

77. *Oblatio.* — Sicut igitur tu, Domine, teipsum expansis in cruce manibus et nudo corpore pro peccatis meis Deo Patri sponte obtulisti, ita ut

nihil in te remaneret, quin totum in sacrificium divinae placationis transiret; ita et ego meipsum tibi voluntarie in oblationem puram et sanctam cum omnibus viribus et affectibus meis, quanto intimius valeo, offero. O Domine! rogo te in simplicitate cordis mei: suscipe me tibi in servum sempiternum, in obsequium et sacrificium laudis perpetuae; suscipe me cum hac sancta oblatione tui pretiosi corporis, quam tibi modo in praesentia angelorum invisibiliter assistentium obtuli pro me et pro cuncto populo tuo in salutem.

78. *Petitio pro se.* — Praesta, Domine Deus, salutaris meus, ut cum frequentatione mysterii crescat meae devotionis affectus. Salva animam meam, quam pretioso sanguine tuo redemisti. Age mecum secundum bonitatem tuam, non secundum meam malitiam et iniquitatem. Vide omnia bona mea, quam pauca sint et imperfecta: illa emenda et sanctifica; ea grate habe et accepta tibi fac et semper ad meliora trahe. Me quoque pigrum et inutilem homuncionem ad laudabilem perduc finem.

O dulcissime atque amantissime Jesu! ecce sto ante te, pauper et nudus, gratiam postulans et misericordiam implorans. Accende frigiditatem meam igne amoris tui; verte mihi omnia terrena in amaritudinem, omnia infima et creata in contemptum et oblivionem. Tu solus mihi ex hoc jam dulcescas usque in saeculum. Utinam me totaliter ex tua praesentia accendas, comburas et in te transmutes,

ut unus tecum efficiar spiritus per gratiam internae unionis et liquefactionem ardentis amoris. Operare, Domine, mecum misericorditer, sicut saepius operatus es cum Sanctis tuis mirabiliter. O ignis semper ardens et nunquam deficiens! O amor corda purificans et intellectum illuminans!

79. *Petitio pro aliis.* — Intuere quoque, benignissime Jesu, pia desideria devotorum, necessitates parentum, amicorum, fratrum, sororum, omniumque carorum meorum et eorum, qui mihi vel aliis propter amorem tuum benefecerunt, et qui orationes et missas pro se suisque omnibus dici a me desideraverunt et petierunt, sive in carne adhuc vivant, sive jam saeculo defuncti sint: ut omnes sibi auxilium gratiae, opem consolationis, protectionem a periculis, liberationem a poenis advenire sentiant et ut ab omnibus malis erepti gratias tibi magnificas laeti persolvant.

Offero etiam tibi preces et hostias placationis pro illis specialiter, qui me in aliquo laeserunt, contristaverunt aut vituperaverunt vel aliquod damnum vel gravamen intulerunt; pro his quoque omnibus, quos aliquando contristavi, conturbavi, gravavi, scandalizavi verbis, factis, scienter aut ignoranter: ut nobis omnibus pariter indulgeas peccata nostra et mutuas offensiones.

Aufer, Domine, a cordibus nostris omnem suspicionem, indignationem, iram et disceptationem, et quidquid potest charitatem laedere et fraternam di-

lectionem minuere. Miserere, miserere, Domine, misericordiam tuam poscentibus; da gratiam indigentibus et fac nos tales existere, ut simus digni gratia tua perfrui et ad vitam proficiamus aeternam. Amen.

80. *Oratio ad B. V. Mariam.* — Commendo me tibi, serenissima vereque inclyta Virgo Maria, coeli terraeque regina, quae in tuis sacratissimis visceribus eundem dominum et omnium creatorem, quem ego modo suscepi, de Spiritu sancto conceptum, digne portasti; precor te, Matrem Dei sanctissimam, ut pro me apud eundem Filium tuum intercedas et quidquid quacunque ratione in summi hujus sacramenti celebratione deliqui, hujus negligentiae et indignitatis meae veniam mihi impetres. Tu semper casta, pura, innocens, post conceptum Filium etiam castior, purior, sanctior Deoque gratior evasisti: utinam et ego tam divini sacramenti perceptione ita sanctificer, ut deinceps cor et corpus meum ab omni lethalis peccati macula tuear impollutum. Tu, concepto Filio tuo de Spiritu sancto, magnificas laudes decantasti et in Deo, salutari tuo, mirabiliter exultasti: fac meritis et precibus tuis, Virgo Mater, ut cum hac sacra communione novum et ardentem spiritum conjungam ac semper in gratiarum actione pie verser tantoque redemptori et hospiti me nunquam ingratum exhibeam, sed fidelem in omnibus servum ac ministrum. Amen.

84. *Oratio ad omnes Sanctos.* — Felices Sancti, qui jam nostrae mortalitatis pelagus per-

transsistis, securi de vestra immarcescibili gloria: solliciti estote de mea multiplici miseria; date manus infirmo, coelestis patriae cives, et erigite jacentem, ut convalescens de infirmitate fortis efficiar in bello. Ad me respicite, gens illustrissima et haereditas summi Dei, adhuc peregrinantem in hoc exilio et mittite de coelo opem et consolationem. Circumdate me gaudentem et exultantem de vestra beatitudine et gratiam impetrate virtutes vestras imitandi, ut vestris suffragiis adjutus particeps fiam vestri gaudii et coronae. Amen.

82. *Conclusio.* — Nunc dimittis, Domine Jesu, servum tuum in pace; tu vero ne elongeris a me, Deus meus; in auxilium meum respice, quoniam insurgent in me per diem variae cogitationes, vim mihi facient variae tentationes. Da, ut pertranseam illaesus; da, ut perfringam eas. Pugna fortiter pro me et expugna malas bestias, concupiscentias dico illecebrosas. Impera ventis et tempestatibus; dic mari: „quiesce", et aquiloni: „ne flaveris"; et erit tranquillitas magna. Benedic et sanctifica me benedictione coelesti. Protege et conserva animam servi tui inter tot discrimina vitae corruptibilis ac, comitante gratia tua, dirige per viam pacis ad patriam perpetuae claritatis. Amen.

Ad lucrandam indulgentiam plenariam recitabis hanc orationem:

En ego, o bone et dulcissime Jesu etc. pag. 52.

FERIA VI.

Ante missam.

83. *Postulatio gratiae.* — Deus, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, a Judaeis reprobari, a Juda proditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad caedem duci atque conspectibus Annae, Caiphae, Pilati et Herodis indecenter offerri, a falsis testibus accusari, flagellis et opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis caedi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle et aceto potari et lancea vulnerari: tu, Domine, per has sanctissimas poenas tuas, quas ego indignus recolo, et per sanctam crucem et mortem tuam, in cujus memoriam et gratiarum actionem sacrificium offerre volo, libera me a peccatis meis, ut sancte et acceptabiliter altari tuo assistam. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. *) Amen.

*) Pius VII indulgentiam concessit 300 dierum semel per diem lucrandam ei, qui hanc orationem cum quinque Pater noster et Ave Maria corde contrito recitaverit; et indulgentiam plenariam ei, qui quotidie per totum mensem has preces effuderit et uno ultimorum ejus dierum rite confessus sanctam communionem receperit et ad intentionem Papae precatus fuerit. Quae indulgentiae et animabus in purgatorio existentibus donari possunt.

84. *Contritio.* — O dulcissime Deus, creator ac salvator meus! doleo ex intimo corde, quod unquam offenderim te, Dominum ac Deum meum, te, quem amare debeo super omnia, quia et super omnia bonus es et plurima mihi bona tribuisti: et eheu! infelix et ingratus ego peccator non retribui, nisi mala pro bonis.

Verum propitius esto peccatis meis, Domine! Nunc enim firmiter statuo ac propono non amplius te offendere omnesque peccandi occasiones fugere; ideoque nunc hoc sacramentum sumere cupio, ut in amore tui confirmer et contra omnes peccandi occasiones muniar, ut tu in me, et ego in te maneam.

85. *Actus virtutum.* — O sapientia infinita! O aeterna veritas! Bonitas immensa, quae nec falli nec fallere potes: credo in te, et credo tibi in omnibus, quae revelasti et per ecclesiam mihi credenda proponis. Imprimis vero credo te in sanctissimo hoc sacramento esse praesentem, prout apertis verbis asseruisti, quibus plus tribuo, quam ingenio meo omnibusque sensibus. Pro hac fide per tuam gratiam mori sum paratus.

Spero in te, o bonitas infinita, teque per inexhaustam misericordiam tuam veniam, gratiam et gloriam mihi promissam daturum confido.

Amo et amabo te et omnia, quae tu amas, propter te, o fons infinite omnis boni, quia tu omni amore dignus es.

Gaudeo de infinita perfectione, beatitudine et

amabilitate tua et de omni obsequio, laude, honore et gloria tibi ab electis tuis et creaturis omnibus unquam reddita et in aeternum reddenda. Te tuumque in omnibus beneplacitum amplector omnique possibili reverentiae, fiduciae, amoris et pietatis affectu veneror et exosculor.

Quidquid in me est affectus erga creaturas in te solum transfero. Quidquid egero in omnem aeternitatem aut passus fuero cedat ad tuam gloriam. Totus tuus sum: fac de me quidquid vis, nunc et in aeternum. Amen.

86. *Directio intentionis.* — Ad laudem et gloriam sanctissimae Trinitatis, in memoriam salvatoris nostri Jesu Christi vitae, passionis, mortis et resurrectionis ac in operum et meritorum suorum omniumque Sanctorum unionem, ad laudem quoque et exaltationem B. V. Mariae, coelestium angelorum, Sanctorum atque Sanctarum et signanter N. N. et aliorum Sanctorum, offero etiam cum ipsorum beatorum spirituum laudibus Sanctorumque omnium precibus et meritis nunc et semper hoc et omnia alia sacrificia, officia, orationes et bona opera totius mundi pro meis praesentibus et futuris animae et corporis necessitatibus, in auxilium et consolationem meam et in remissionem omnium peccatorum meorum, quorum veram contritionem semper habere intendo, conor et cupio; pro salute quoque meorum parentum et consanguineorum, amicorum, inimicorum, benefactorum in spiritualibus et temporalibus

ac illorum, quibus fui gravamen, scandalum et occasio peccandi; pro omni gradu sanctae catholicae ecclesiae ac illius conservatione, augmento et exaltatione, christianorum principum unione, haeresum extirpatione, summi Pontificis salute et animarum in purgatorio existentium liberatione; pro conservatione et augmento omnium ordinum, pro conversione omnium infidelium, pro mihi commissis et commendatis, denique pro illis omnibus, vivis atque defunctis, pro quibus Dominus noster Jesus Christus scit et vult me debere orare et sacrificare. Sic oro et obsecro ac orare, obsecrare et sanctificare intendo atque propono juxta intentionem sanctae catholicae ecclesiae, ego N. minister, licet indignus, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

87. *Oratio ad Spiritum sanctum.* — Spiritus gratiae et misericordiae, Spiritus sancte Deus! ecce accedo ad sanctum altare, locum terribilem et metuendum. Sed quia sine te non possum in ministrando gratus apparere, tu me, quaeso, virtute et operatione tua ad digne sacrificandum praepara. Illabere igitur in cor meum et me dignum effice. Veni, mundator scelerum, curator vulnerum! veni, sanctissime Spiritus, et aufer a me quidquid tibi, Patri et Filio, in me displicet, et infunde charismatum tuorum pretiosissima dona, quibus adjutus et sancte celebrare valeam et postmodum secundum voluntatem Jesu vivere.

88. *Ad B. V. Mariam.* — Gloriosissima Mater

Dei, Virgo Maria! tota fiducia mea et unicum solatium languentis animae meae! precor te, ut mihi, miserrimo peccatori, assistere digneris hac hora, qua pretiosissimum Filii tui corpus et sanguinem aeterno Patri oblaturus sum, sicut amans ac dolens eidem Filio tuo in cruce pendenti et se pro nostra salute offerenti adstitisti. Ne me despicias, Mater misericordiae, ob intolerabilem peccatorum meorum foeditatem neque avertas faciem tuam a me, quem Filius tuus tanto amore dilexit, ut pro me mori dignatus sit.

89. *Ad omnes Sanctos.* — Omnes Sancti et Sanctae Dei, qui beatifica jam visione aspicitis, honoratis et adoratis quem nos hic interim nonnisi sub speciebus et quasi in aenigmate videmus: orate pro me, ut per salutiferum hujus sacramenti usum vestro semel dignus consortio inveniri merear.

Ad lucrandam indulgentiam 50 annorum recitabis hanc orationem:

Ego volo celebrare missam etc. pag. 40.

FERIA VI.

Post missam.

90. *Pii affectus.* — O Jesu bone! quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Jam plenum est desiderium meum, plenum gaudium cordis mei, quia tu es plenitudo mea, omne bonum et desiderium meum. Refice, Domine, esurientem animam meam; accende frigiditatem meam igne amoris tui; illumina caecitatem meam claritate praesentiae tuae. Verte mihi omnia terrena in amaritudinem, omnia infima et creata in contemptum et oblivionem. Erige cor meum ad te in coelum et ne permittas me vagari super terram. Penetret, quaeso, hujus sacramenti virtus omnia intima mea, et quidquid in me pravum, quidquid vitiosum est mortificet et eradicet. In te, Jesu suavissime, sit omnis delectatio mea; taedeat me gaudii, quod est sine te; amara sit mihi omnis quies, quae non est in te. Emitte ex te, benignissime Jesu, amoris tui radios, qui me succendant et quidquid terrenum in me est comburant et consumant, ut igni inextinguibili charitatis tuae ardeam, et vetus in me homo totus deficiat. Utinam me rapiat ignita vis amoris tui, quae me transformet in te et in te absorbeat ac me tecum unum efficiat!

91. ***Actus amoris.***

O Deus, ego amo te,
Nec amo te, ut salves me,
Aut quia non amantes te
Aeterno punis igne.

Tu, tu, mi Jesu, totum me
Amplexus es in cruce;
Tulisti clavos, lanceam
Multamque ignominiam,

Innumeros dolores,
Sudores et angores
Ac mortem, et haec propter me
Ac pro me peccatore.

Cur igitur non amem te,
O Jesu amantissime?
Non, ut in coelo salves me
Aut ne aeternum damnes me

Nec praemii ullius spe,
Sed sicut tu amasti me,
Sic amo et amabo te,
Solum quia rex meus es,
Et solum quia Deus es.

S. Franc. Xav.

92. ***Gratiarum actio.*** — Gratias tibi ago, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui me etc. pag. 48.

93. *Oblatio.* — Protector meus aspice, Deus, et respice in faciem Christi tui. En Filius tuus ita se mihi communicavit, ut ego in illo et ille in me sit; en factus est unum mecum, et ego unum cum illo. Ipsum igitur tibi offero, Pater amantissime, ut thymiama suavissimi odoris, ad maximam tui gloriam et honorem, in gratiarum actionem pro universis beneficiis tuis, in remissionem peccatorum meorum et totius mundi, ad impetrandam mihi et omnibus, pro quibus oravi et orare debeo, omnia subsidia vitae temporalis et aeternae, et pro animabus omnium fidelium defunctorum. Suscipe, Domine, cum hac sacratissima oblatione animam meam et corpus meum, omnes vires et affectus meos, ut sim perpetuum holocaustum jugiter ardens majestati tuae; praesta, ut deinceps nec membra nec sensus nec potentias nec vitam habeam, nisi ut te amem et serviam tibi.

94. *Reparatio injuriarum.* — O Jesu patientissime, qui innumeris contumeliis in sacramento tuo afficeris: detestor et abominor ex toto corde meo omnes illas tibi illatas a peccatoribus injurias. Obsecro te per ineffabilem sacratissimi tui cordis charitatem, ut pro illis sis apud omnipotentem Patrem tuum propitiatio. Accende in me, o Jesu, per corporis tui praesentiam zelum urentem, ut et commissa sacrilegia plangere et committenda avertere satagam.

95. *Invocatio.* — Transfige, dulcissime Domine Jesu etc. pag. 49.

96. *Deprecatio pro aliorum necessitatibus.* — Domine Deus omnipotens, Pater Christi tui benedicti Filii, exauditor eorum, qui recte invocant te, cognitor precum etiam eorum, qui tacent: gratias agimus tibi, quod nos dignos censuisti, qui participaremus sancta tua mysteria, quae praebuisti nobis ad plenam eorum, quae bene cognovimus, persuasionem, ad custodiam pietatis, ad remissionem delictorum; quoniam nomen Christi tui invocatum est super nos. Qui segregasti nos ab impiorum communione: aduna cum iis, qui tibi sunt consecrati; confirma nos in veritate per sancti Spiritus adventum; quae ignoramus revela; quae deficiunt supple; quae novimus corrobora. Sacerdotes inculpatos conserva in cultu tuo; reges tuere in pace, magistratus in justitia, aërem in temperie, fruges in ubertate, mundum in omnipotente providentia; gentes bellicosas seda; errantes converte; populum tuum sanctifica; virgines conserva; conjuges custodi in fide; castos robora; debiles firma; caecos illumina nosque omnes congrega in regnum coelorum, in Christo Jesu Domino nostro, cum quo tibi sit gloria, honor ac veneratio et sancto Spiritui in saecula. Amen.

97. *Commendatio B. V. Mariae.* — Sancta Maria, Mater Dei et Virgo! ego licet indignus, qui serviam tibi, attamen de materni cordis tui clementia

confisus eligo te hodie coram angelo meo custode et tota coelesti curia in meam matrem et peculiarem dominam, patronam et advocatam, firmiterque propono me deinceps Filio tuo servire velle fideliter et devotus tibi manere perenniter.

Obsecro te, mater sacratissima, per amorem, quo Filius tuus jam moriturus in cruce semetipsum Patri suo, te vero discipulo suo et hunc vicissim tibi commendavit, ut me suscipias in curam et tutelam tuam, et adsis mihi in omnibus periculis et angustiis totius vitae meae, sed praecipue in hora mortis. Amen.

98. *Conclusio.* — Mane in me, benignissime Jesu; esto tutamen et continua salus animae et corporis mei. Repelle a me insidiantes mihi hostes; recedant procul a praesentia potentiae tuae, ut foris et intus per te munitus recto tramite ad regnum tuum perveniam. Amen.

Ad lucrandam indulgentiam plenariam recitabis hanc orationem:

En ego, o bone etc. pag. 52.

SABBATO.

Ante missam.

99. *Adoratio.* — O Deus trine in personis et unus in essentia! et tu, Domine Jesu Christe, verus Deus et homo! ex toto corde te adoro et confiteor te meum esse verum et unicum creatorem, salvatorem et meum ultimum finem, et quia adoratio mea nimis exigua et debilis est, tibi offero excellentes illas adorationes, quas continuo tibi persolvit tua sanctissima humanitas et tua gloriosissima genitrix Virgo Maria totaque curia coelestis ac sancta ecclesia catholica, tua dilecta sponsa. S. Franc. Sales.

100. *Amor.* — Insuper, o Domine, ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus te amo et super omnia amare desidero; et si possibile esset, te amare cuperem illo amore perfectissimo, quo teipsum amas, et quo tua sanctissima humanitas et gloriosissima Virgo Maria cum tota coelesti curia et sancta ecclesia catholica te amant. S. Franc. Sales.

101. *Contritio.* — Et cum, o Domine, sis infinite bonus, sapiens, potens, justus et misericors, ideo ex toto corde doleo et super omnia detestor omnia mea peccata mortalia et venialia, quae unquam cogitatione, verbo et opere a primo instanti, quo

usum rationis habui, usque ad praesentem horam commisi. Et loco mei imperfecti doloris tibi offero amaram illam contritionem, quam sanctus propheta David, sanctus Petrus et sancta Maria Magdalena, imo omnes vere poenitentes unquam habuerunt ab origine mundi usque ad praesens, cum voluntate absoluta te nunquam amplius, adjuvante tua divina gratia, offendendi. S. Franc. Sales.

102. *Satisfactio.* — Et quia, o Domine, in mea non est potestate, ut satisfaciam tot debitis, quibus ob mea peccata et offensas me plusquam obligatum profiteor: ideò in satisfactionem eorum offero tibi totam vitam meam, omnia opera mea, omnes labores, poenas et dolores, quos sustinui et adhuc sustenturus sum, cum meritis vitae, passionis et mortis tui unigeniti Filii humillime petens veniam meorum delictorum et efficacem gratiam, ut de iis ante mortem veram poenitentiam agere possim. S. Franc. Sales.

103. *Oblatio.* — Praeterea, o Domine, cum hocce meo sacrificio me tibi totum ad tuum honorem et aeternam gloriam offero et consecro in unione illius ardentissimi amoris et purissimae intentionis, quibus teipsum in ultima coena nobis in cibum tradidisti et in ara crucis sacrificium cruentum pro nobis obtulisti, et loco meae exiguae praeparationis ac praesentis meae parvae devotionis tibi offero profundam illam humilitatem, charitatem, puritatem, cum quibus tua sanctissima mater et omnes

tui fideles et famuli ad hoc sanctissimum sacramentum accesserunt, et quibus ornati tui apostoli, imo omnes sancti sacerdotes hocce tremendum sacrificium tibi obtulerunt a prima tua institutione usque ad praesens, et quibus nunc adornata tua sancta ecclesia catholica ubique locorum offert. S. Franç. Sales.

104. *Directio intentionis.* — Pater coelestis, clementissime Pater misericordiarum! suscipe hodie per manus servi tui hoc sacrosanctum sacrificium, verum corpus et sanguinem Filii tui Domini nostri Jesu Christi in satisfactionem et remissionem omnium peccatorum meorum; in salutem et sanctificationem animae meae et omnium illorum, quibus aliqua obligatione teneor., omnium ecclesiae tuae pastorum, ut eis gratiam Spiritus sancti impertiri digneris ad salutem animarum suarum et regimen totius populi christiani, omnium peccatorum hujus mundi, ut eos convertas et ducas in viam salutis; in consolationem omnium tribulatorum, ut eis adjutorium et veram poenitentiam tribuas; in refrigerium et liberationem omnium animarum existentium in purgatorio et maxime illarum, quae auxilium a me jure expectant; et ad illuminationem et conversionem omnium gentium infidelium, haereticorum et schismaticorum, ut cognoscant et ament te, summam veritatem, Patrem omnipotentem, qui cum Filio et Spiritu sancto es laudabilis Deus et benedictus in saecula saeculorum. Amen.

105. *Ad Dominum nostrum Jesum Christum.* — Accende, o Jesu, igne amoris tui cor meum, quod tibi in holocaustum offero, omnesque terreni amoris flammas extingue, ut nihil in mundo mihi placeat praeter te. In amore tui vivere cupio et mori exopto.

Vota tua, mi Jesu, haec sunt: „Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos", et expansis in cruce brachiis me expectas. En venio, o Jesu! Admitte me, obsecro, et concede, ut amoris tui complexu tibi semper conjunctus permaneam.

Praecipitur mihi, ne appaream in conspectu tuo vacuus; sed quid dabo tibi, mi Jesu? Accipe tuae bonitatis dona, animae meae facultates, quas tibi in obsequium offero: memoriam, intellectum, voluntatem. Tui solius meminerim; nihil sciam extra te; nihil amem praeter te, nec in ulla re mea, sed tua voluntas fiat. Amen.

106. *Ad B. V. Mariam.* — Castissima Virgo Maria! rogo te per illam innocentissimam puritatem, qua filio Dei in utero tuo virginali placitam mansionem praeparasti, ut tuis precibus ab omni macula merear emundari.

Humillima Virgo! rogo te per profundissimam illam humilitatem, qua super omnes choros angelorum et Sanctorum meruisti exaltari, ut tuis precibus suppleantur omnes negligentiae meae.

Amabilissima Virgo Maria! rogo te per singu-

larem ac tantum illum amorem, qui sanctam animam tuam inseparabiliter Deo conglutinavit, ut tuis precibus praestetur mihi copia requisitorum meritorum. Amen.

107. *Ad Sanctos.* — Angeli, archangeli, throni, dominationes, principatus, potestates, virtutes coelorum, cherubim ac seraphim, omnes Sancti et Sanctae Dei, maxime vos N. N., quorum hodie memoriam agimus: succurrite mihi, quaeso, precibus vestris, ut sanctissimum hoc sacrificium viva fide, ferventi charitate et plena devotione, perficiam perque ejus continuum et salutiferum usum vestro dignus consortio tandem inveniar. Amen.

Ad lucrandam indulgentiam 50 annorum recitabis hanc orationem:

Ego volo celebrare etc. pag. 40.

SABBATO.

Post missam.

108. *Adoratio.*

Ave, verum corpus, natum
De Maria Virgine;

Vere passum, immolatum
In cruce pro homine.
Cujus latus perforatum
Unda fluxit et sanguine:
Esto nobis praegustatum
Mortis in examine.
O dulcis, o pie,
O Jesu, fili Mariae!
Miserere mei.

109. *Pii affectus.* — Mirantur, bone Jesu, creaturae omnes te in purissimum Mariae, Matris tuae uterum descendisse, cum tamen integerrima illa et omni virtute ac gratia refertissima fuit. An non mirari magis debeo, quod volueris ad me divertere, a me recipi, a me teneri, paupere, nudo, misero, miserabili?

Tune, Domine, Sanctus Sanctorum, in me manere dignatus es, qui sum sordes peccatorum? Itane voluisti honorare me, qui tamdiu fui immundum vas, ut fierem templum tuum, tabernaculum tuum et quasi theca sacrarum reliquiarum corporis et sanguinis tui, quae longe omnes Sanctorum reliquias excedunt? Benedicant te omnes angeli tui pro tanta in me dignatione. Effice ergo, ut jam sciam et sciam semper vas meum possidere non in passione desiderii, sicut gentes, quae ignorant Deum, sed in sanctificatione et honore.

Da mihi, dulcissime Jesu, praesentiae tuae effectus

persentire. Memini benedictionum, quibus cumulasti eos, qui te aliquando in domum suam exceperunt. Maria, Mater tua, ubi te in suum recepit uterum, omnibus gratiae donis repleta est. Zachaeo publicano, cujus usus es hospitio, salus a Deo facta est. Simulatque, obita pro nobis morte, in limbum descendisti, illum in paradisum quendam commutasti. Domum Obededom et omnia ejus propter arcam testamenti large benedixisti. Benedic quoque domum cordis mei, in quam ingressus es: eam, quaeso, in paradisum converte et tuo sancto imple Spiritu.

Memini, piissime Jesu, sacris de te litteris esse mandatum, quod omnis turba te quaerebat tangere, quia virtus de te exibat et sanabat omnes. Ecce ego te jam non tetigi tantum, sed in me quoque recepi. Exeat, quaeso, a te virtus illa divina, quae sanet animam meam, curet omnem ejus languorem et novas ei addat vires ad serviendum tibi omnibus diebus in sanctitate et justitia.

110. *Gratiarum actio.* — O dulcedo cordis mei et vita animae meae et jucunda requies spiritus mei, dulcis Jesu! Immortales tibi ago gratias pro omnibus beneficiis mihi collatis, signanter, quia hodie me dignum fecisti, verum et immaculatum corpus et sanguinem tuum pretiosissimum consecrare, pertractare illudque tibi offerre in memoriam tuorum mirabilium, ad tuam gloriam et in remissionem omnium peccatorum, tam meorum quam illorum, pro quibus orare et offerre proposui illoque in

salutem et consolationem animae meae cibari et nutriri. Quapropter vere dicere audeo: cibus meus Christus, et ego ejus. Multiplico ergo et, quotiescunque respiro, multiplicare intendo meam voluntatem in infinitum in tuis laudibus precorque beatissimam Virginem, angelos, Sanctos, Sanctas et universas creaturas, pro me immensas tibi referre gratias. Imo quia ista minime sufficiunt, te supplico, ut tibi ipsi gratias agere, te laudare et glorificare complaceas; et quia dignatus es istam indignam tuam tamen facere habitationem, dignare quoque apud ipsam perpetuam facere mansionem. Effice me hominem secundum cor tuum. Uni me tibi intime et totum transforma ac transmuta in te. Salva me, Jesu Christe, et cunctam a me hostis antiqui depelle nequitiam per tuam innocentissimam passionem. Oro itidem, ut digneris gratias et indulgentias omnes, quas, hoc sacrificio vel communione mediante, acquirere et lucrari possum, concedere tam mihi quam aliis vivis et defunctis, quibus applicare proposui, quia te ipsum et pro ipsis exoro, pro quibus et tu vis et sanctissimus pontifex intendit hac de causa me debere orare. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

111. *Oblatio et petitio.* — Adoro te et gratias ago tibi, benignissime Domine Jesu Christe, qui me vilissimum peccatorem admittere dignatus es ad splendidum vivificumque sacrae mensae convivium. Heu mihi, quia nimis indigne complevi hoc

sanctum sacrificium! Miserere mei, ignosce mihi! Ego quod egi commendo divino cordi tuo emendandum et corrigendum. Suscipe, quaeso, haec sacrosancta corporis tui mysteria, quae tibi obtuli, ad gloriam nominis tui sempiternam, ad honorem dulcissimae genitricis tuae Virginis Mariae, ad honorem omnium Sanctorum tuorum omniumque beatorum angelorum, ad salutem meam et omnium fidelium tam vivorum quam defunctorum. Suscipe hoc praecellentissimum sacramentum in plenam emendationem, expiationem atque satisfactionem pro omnibus peccatis ac negligentiis meis et pro peccatis totius mundi.

Per illud sanctifica, o piissime Pater, ecclesiam tuam; aufer ab ea omnia scandala et schismata, ut fiat unum ovile et unus pastor. Per illud effunde misericordiam tuam in gentes, quae te non noverunt; et illumina corda illarum, ut te cognoscant et ament. Per illud dissipa consilia impiorum, ne regno tuo officiant et propagationi gloriae tuae. Da summo pontifici, praelatis et ordinibus ecclesiasticis divinum tuum amorem, ut suo officio rite fungantur; regibus, principibus cunctisque magistratibus sapientiam, qua justitiam fideliter administrent pacemque sequantur, ac populo tuo tuam benedictionem. Tribue agonizantibus veram contritionem tuumque amorem, inimicis meis tuam charitatem ac dulcedinem, amicis, benefactoribus et consanguineis tuam dilectionem, nosque et omnia nostra dirige, ut cultus tuus semper et ubique vigeat et perseveret. Animabus in pur-

gatorio detentis, illis maxime, quae suffragiis nostris indigent, vel quibus sum obligatus, requiem sempiternam concede ad beatam tui fruitionem. Amen.

112. *Obsecratio pro peccatoribus.* — Aeterne rerum omnium effector, Deus! memento abs te animas peccatorum esse procreatas easque ad imaginem et similitudinem tuam conditas. Ecce Domine! in opprobrium tuum his ipsis infernus impletur. Memento Jesum Filium tuum pro illorum salute atrocissimam subiisse necem. Noli, quaeso, Domine, ultra permittere, ut isti in iniquitatibus suis perseverantes Filium tuum, omnium salvatorem contemnant, sed precibus Sanctorum tuorum et sanctissimae ecclesiae, ejusdem Filii tui sponsae, placatus recordare misericordiae tuae et oblitus inobedientiae et praevaricationis eorum effice, ut et ipsi tandem ex toto corde convertantur ad eum, quem misisti, Dominum nostrum Jesum Christum, per quem salvati et liberati sumus, cui sit gloria per infinita saecula saeculorum. Amen.

113. *Ad B. V. Mariam.* O beata Maria! quis tibi digne valeat jura gratiarum ac laudum praeconia rependere, quae singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persolvat, quae solo tuo commercio recuperandae salutis aditum invenit? Accipe itaque quascunque exiles, quascunque meritis tuis impares gratiarum actiones, et cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces

intra sacrarium exauditionis et reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile quod per te ingerimus; fiat impetrabile quod fida mente poscimus; accipe quod offerimus; redona quod rogamus; excusa quod timemus, quia tu es spes unica peccatorum. Per te speramus veniam delictorum, et in te beatissima nostrorum est expectatio praemiorum. Sancta Maria! succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu; sentiant omnes tuum juvamen, quicunque celebrant tuam sanctam commemorationem. S. Aug. Sermo 18. de Sanctis.

114. *Ad omnes Sanctos.* — O vos omnes Sancti et Electi Dei! respicite in me, quia dignum objectum oculorum vestrorum nunc factus sum. Loquimini pro me bona summo regi, qui me corpore et sanguine suavissime refecit, et offerte ei merita vestra in supplementum imperfectionis meae. Gratias agite ei pro me et postulate, ut sacramentali sua praesentia non recedat a me, nisi relinquat post se animae meae largissimam benedictionem.

115. *Conclusio.* — Adjuvet nos gratia tua, omnipotens Deus, ut, qui officium sacerdotale suscepimus, digne et devote tibi cum omni puritate et in conscientia bona famulari valeamus. Et si non possumus in tanta innocentia vitae conversari, ut debemus; concede nobis tam digne flere mala, quae gessimus,

ut in spiritu humilitatis ac bonae voluntatis proposito tibi ferventius deservire valeamus. Amen.

Ad lucrandam indulgentiam plenariam recitabis hanc orationem:

En ego, o bone etc. pag. 52.

III.

SANCTI ALPHONSI M. DE LIGUORIO

CONSIDERATIONES ET AFFECTUS

ANTE ET POST MISSAM.

HEBDOMAS I.

DIE DOMINICA.

Ante missam.

Jesus inimicis suis obviam procedit et captus vinculis alligatur.

Jesus cum adhuc in horto esset et sciret Judam cum militibus jam appropinquasse, ut dominum suum traderet et ad mortem duceret, manere noluit, donec illi advenirent, sed obviam eis processit, ut eorum manibus se traderet. Amabilissimus noster salvator, sanguinis sudore, quem in monte olivarum sudaverat, adhuc erat perfusus; sed cum cor ejus esset amore inflammatum et arderet pro nobis passionem subire, dormientes discipulos inclamavit dicens: „Surgite, eamus, ecce qui me tradet prope est."

Tantum igitur, mi redemptor, tuum erat pro nobis moriendi desiderium, ut ipse morti obviam ire velles. Ego quoque, o mi Jesu, idem nunc, quod tu olim super monte Calvariae obtulisti, crucis sacrificium super hoc altari renovabo. Quantum me poenitet, quod te contempsi, te, qui tantopere me amasti. Superiori vitae meae tempore, o mi

Deus, a te discessi; nunc nihil aliud magis desidero, nisi ut tecum uniar. Eheu! Ignosce mihi, quaeso, priusquam hodie in cor meum intrabis; ignosce sollicitudinem a me tibi allatam, quam magis nunc detestor, quam omnia alia mala. Noli, dilectissime salvator, noli, quaeso, permittere, ut denuo te offendam. Amo te, mi Jesu, pro me mortuum; amo te, mi Deus, infinita charitate dignum; amo te, unicum bonum meum, et omnia tui amore commotus deseram, o mi Deus et omnia! Tu solus mihi sufficis.

Offero tibi, Pater aeterne, hoc sacrificium in gratiarum actionem pro omnibus donis, quae sacrosanctae Jesu Christi humanitati, beatissimae Virgini Mariae et omnibus sanctis patronis meis es largitus. Commendo tibi sanctum patrem nostrum, Papam; commendo tibi consanguineos, benefactores, amicos et inimicos meos; commendo tibi omnes infideles, omnes haereticos, omnes peccatores, qui in odio tuo vitam ducunt; illumina et adjuva eos, ut tam miserabilem statum derelinquant. Mihi vero, cui te jam gratiam tuam donasse confido, sanctam perseverantiam velis impertiri.

Et tu, mater perseverantiae, beatissima Virgo Maria! noli unquam Jesum pro me orare desinere.

Ad lucrandam indulgentiam 50 annorum hanc orationem recitabis:

Ego volo celebrare etc. pag. 40.

Post missam.

Dilectissime Jesu, mi salvator et mi Deus! antequam ad altare accessi, adoravi te in gloria coelesti ad dexteram aeterni Patris regnantem; nunc autem adoro te in cor meum deversatum et sub bumilibus panis et vini speciebus latentem, quibus animae meae cibus et potus factus es.

Salve, o mi Deus, expectate animae meae hospes! Ex toto corde meo tibi gratias ago, quod ad me venisti, et justas tibi gratias reddere velim. At quas dignas reddere posset pauper rusticus, quem ipse rex in casa straminea visitasset! Num aliud quid facere posset, nisi ad pedes ejus se projicere et ita prostratus cum silentio tantam bonitatem admirari et laudare? Procumbo igitur, mi rex colestis, o mi Jesu, ad pedes tuos et ex abysso miseriae meae te adoro. Ecce, meam adorationem adorationi Mariae adjungo, qua te honoravit, cum in utero te concepisset, et ita te diligere desidero, ut illa dilexit.

Descendisti, mi redemptor, hoc mane ad verba mea de coelo in manus meas; et ego quoties praeceptis tuis inobediens ingratissime a te recessi, gratiae tuae et amori tuo renuntiavi! Confido, o mi Jesu, quod jam mihi veniam concesseris. Si autem ex mea culpa nondum mihi ignoveris, hoc mane mihi ignosce. Ecce enim ex toto corde meo doleo, quod te, infinita bonitas, offendi.

Utinam te, mi Jesu, semper amassem! Ab illo

saltem die, quo primam missam celebravi, tui amoris igne totus inflammatus esse debebam. Inter tot millia hominum tuum sacerdotem, specialiter tibi dilectum me elegisti: quid amplius ad adipiscendum meum amorem facere potueras? Gratias tibi ago, mi Jesu, mi amor, quod mihi dedisti tempus quae hucusque omisi faciendi. Amabo te ex toto corde meo. Nolo alium in corde meo amorem regnare, nisi tuum, qui me ad amandum te tantopere obligasti.

Deus meus et omnia! Quid sunt, mi Deus, hujus mundi divitiae? quid honores? quid voluptates? Tu solus mihi es omnia. Cum sancto Paulino tibi dicam: „Sibi habeant divitias suas divites, regna sua reges; mihi Christus gloria et regnum est.“

O Pater aeterne! per amorem Filii tui, quem hodie tibi obtuli, quem in cor meum recepi, da mihi sanctam in tua gratia perseverantiam et tui sancti amoris donum. Commendo tibi omnes consanguineos, amicos et inimicos meos. Commendo tibi animas fidelium defunctorum in purgatorio detentas et omnes miseros peccatores.

Haec petitio quotidie debet repeti post missam:

O Maria, mater mea! sanctam perseverantiam et Jesu Christi amorem mihi impetra.

Bonum erit, quotidie sequentem quoque repetere orationem, quam recitanti, ut reperi, permultae concessae sunt indulgentiae:

Anima Christi sanctissima! sanctifica me.
Corpus Christi sacratissimum! custodi me.
Sanguis Christi pretiosissime! inebria me.
Aqua lateris Christi purissima! lava me.
Passio Christi amarissima! conforta me.
O bone Jesu! exaudi me.
Intra vulnera tua absconde me.
Ne permittas me separari a te.

(Hunc versiculum ter cum fervore repetas.)

Ab hoste maligno defende me.
In hora mortis meae voca me.
Et jube me venire ad te,
Ut cum Sanctis et angelis tuis collaudem te
Per infinita saecula saeculorum. Amen.

Ad lucrandam indulgentiam plenariam hanc orationem recitabis:

En ego, o bone etc. pag. 52.

FERIA II.

Ante missam.

Jesus Caiphae praesentatur et morti addicitur.

Impius sacerdotum princeps non inveniens testes, ut innocentem Dominum condemnare posset, in ipsius verbis aliquid reperire studuit, ut reum eum esse declararet; quare in nomine Dei eum interrogavit dicens: „Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus, Filius Dei.“ Jesus quum se per nomen Dei adjurari audivisset, aperte et ad veritatem accomodate respondit: „Ego sum: et videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem cum nubibus coeli.“ His auditis Caiphas vestimenta sua scindens: „Quid adhuc, inquit, desideramus testes? Audistis blasphemiam.“ Deinde reliqui sacerdotes interroganti: „Quid vobis videtur?“ omnes responderunt: „Reus est mortis.“

Ah! terribilis ista sententia jam diu, antequam Jesus Christus ad solvendam pro peccatis nostris poenam se obtulit, ab aeterno Patre lata erat. Gratias ago tibi, o mi Jesu, et amo te.

Impia ista Caiphae et sacerdotum sententia divulgata, omnes hac nocte Jesum cruciare studebant.

„**Tunc expuerunt in faciem ejus et colaphis eum ceciderunt; alii autem palmas in faciem ejus dederunt, dicentes: Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit.**“ Sanctus Marcus addit, eos sanctissimum ejus caput vili panno cooperuisse et alternis eum concidisse.

Quot et quantas, o mi Jesu, propter me tulisti offensiones, ut pro offensionibus a me tibi irrogatis satis faceres! Amo te, bonitas infinita, et super omnia me poenitet, quod tantopere te contempsi. Ignosce mihi et concede mihi gratiam, ut totus tuus sim. Totus tuus esse volo; tu ipse hoc, quaeso, effice.

Tu quoque, Maria, cum sis patrona et spes mea, me adjuvare debes.

Ad lucrandam indulgentiam 50 annorum hanc orationem recitabis:

Ego volo celebrare etc. pag. 40.

Post missam.

O bonitas infinita! O amor infinitus! Deus totus est mihi datus, totus factus est meus. Collige, anima mea, omnes affectus tuos et uni te intime cum Domino tuo, qui ad id tantum venit, ut se tecum conjungat et a te ametur.

Amplector te, dilectissime mi redemptor! o thesaurus meus et vita mea! intime me tibi adstringo:

noli me rejicere. Miser ego peccator olim te ex corde meo depuli et a te me seperavi; sed in posterum millies vitam, quam te, o summum bonum meum, amittere malo. Ne reminiscaris, Domine, tot offensionum, quibus te affeci, et ignosce mihi. Ecce enim ex intimis animae meae visceribus earum me poenitet, et prae dolore mori velim.

Sed quamvis tot tantasque tibi irrogaverim offensiones, audio tamen te mihi mandantem, ut te diligam: „Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo."

At, mi Domine, quis sum ego, ut a me amari tantopere desideres? Ecce jam implebo desiderium tuum. Tu pro me mortuus es, dedisti mihi in cibum carnem tuam; ecce ego omnia desero, omnibus rebus renuntio, te solum, dilectissime salvator, amplector. „Quis me separabit a charitate Christi?"

Quem tandem, charissime redemptor, amabo, nisi te, qui es pulchritudo infinita, bonitas infinita, amore dignus infinito? „Quid mihi est in coelo? et quid a te volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea, Deus, in aeternum." Psalm. 72., 25, 26. Vere, mi Deus, ubi possem unquam aut in coelo aut in terra majus bonum invenire quam te? ubi quemquam, qui me plus amaverit, quam tu? „Adveniat regnum tuum!" Posside, mi Jesu, hoc mane totum cor meum, quod tibi totum dono. Posside illud in perpetuum, posside totum et expelle ex eo

omnem amorem, qui ad te non tendat. Tu solus sis „Deus cordis mei, et pars mea, Deus, in aeternum." Concede, ut a te semper cum sancto Ignatio petam: „Amorem tui solum cum gratia mihi dones, et dives sum satis." Domine, fac, ut amem te et amer a te, et dives sum satis nec aliud quidquam ultra posco.

Sed tu, Domine, debilitatem meam non ignoras; tu scis, quoties te jam prodiderim; adjuva me tua gratia et permittere noli, ut me unquam a sancto tuo amore separem. Ne permittas me separari a te. Hoc tibi dico, et dicam semper. Da mihi gratiam semper tibi hoc repetendi: „Ne permittas, ne permittas me separari a te."

Has duas gratias mihi, beatissima Virgo Maria, spes mea, a Deo impetra: sanctam perseverantiam et sanctum amorem, neque aliud quidquam a te peto.

Ad lucrandam indulgentiam plenariam hanc orationem recitabis:

En ego, o bone etc. pag. 52.

FERIA III.

Ante missam.

Jesus ab Herode deridetur et Barabbae postponitur.

Prima luce Judaei Dominum ad Pilatum duxerunt, qui eum condemnaret et interfici juberet. Pilatus, omnibus, quorum innocentissimus Jesus accusabatur, criminibus disquisitis, se nullam eum condemnandi causam invenire dixit. „Ego nullam in eo invenio causam.“ Ut autem ab impetu sacerdotum in morte ejus perstantium sese liberaret, Dominum, cum Galilaeum et Herodi subditum eum esse audivisset, ad hunc regem misit. Qui quum se visurum esse speraret aliqua miracula, quorum salvatorem tam magnam jam multitudinem effecisse audiverat, jam diu eum videre desideravit. Jesum productum et interrogationibus non respondentem Herodes cum exercitu suo ut stultum tractabat et veste alba indutum ad Pilatum remisit: „Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo: et illusit indutum veste alba et remisit ad Pilatum.“

Vere de te, o Jesu, Isajas propheta prophetavit, te in hac terra ut ultimum et miserrimum voluisse tractari. Quia vero tu, mi redemptor et mi Deus, pro me tantopere sperni voluisti, ego quoque omnem

contemptum mihi in posterum allatum libenter suscipiam neque amplius, ut antea tam saepe in gravem tuam offensionem feci, de hoc irascar.

O infelicem regem Herodem! Ob magnam malitiam indignus est, qui unum tantum verbum ex sanctissimo Jesu Christi ore audiat. Ego quoque, o mi Jesu, promeritus sum, ut amplius mecum non loquaris, ut me deseras. Sed misericordia tua, quaeso, permovearis, ut nunc et deinceps mecum loquaris. „Loquere, Domine, quia audit servus tuus." Antea verba tua audire nolui; nunc autem in omnibus tibi obediam idque ob hanc solam causam, quia amo te. Dicas modo, quid a me postules; in omnibus enim tibi satisfaciam. Quando fiet, o mi Domine, ut totus tuus sim, ne in minimo quidem meus? Non amplius tibi tam suaviter me vocanti resistam.

Tua, Maria, intercessio est omnipotens: ora Filium tuum, ut quod me esse vult de me faciat.

Ad lucrandam indulgentiam 50 annorum hanc orationem recitabis:

Ego volo celebrare etc. pag. 40.

Post missam.

Quomodo te, mi Domine, toties peccando offendere potui, cum certo scirem tantopere tibi displicere peccatum? Ignosce mihi, quaeso, per merita passionis tuae et totum me tecum amoris

tui vinculis conjunge. Noli me propter foetidum peccatorum meorum odorem deserere. Fac, ut in dies melius intelligam, quam magnum sis bonum, quanto amore dignus, quantopere me amaveris.

Totum me pro te, mi Jesu, sacrificare desidero, cum tu pro me te totum sacrificaveris. Tam suavibus tui amoris signis me tibi conjunxisti; ne permittas, ut amplius a te me separem. Amo te, mi Deus, et semper te amabo. Et quomodo, permagno tuo amore cognito, a te elongatus et gratia tua privatus vivere possem?

Gratias tibi ago, quod me in ira tua viventem tulisti et mihi te amandi tempus concedis. Si tunc mortuus essem, amplius te amare non possem. Sed cum te amare possim, volo te amare, mi Jesu, quantum possum, et omnia facere, ut tibi complaceam. Amo te, infinita bonitas, amo te plus quam me; et quia te amo, dono tibi corpus meum, animam et voluntatem meam. Sicuti tibi placet, Domine, de me dispone; tuum beneplacitum amplector et adoro. Sufficit, si mihi concesseris, ut semper te amem; hoc unicum neque aliud quidquam a te peto. Da hujus terrae dona cuicunque volueris: ego nihil aliud desidero, nihil aliud a te requiro, nisi sanctam in tua gratia perseverantiam et tuum sanctum amorem.

O Pater aeterne! confidens promissioni a dilectissimo Filio tuo factae: „Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.“ Joann. 16, 23. in

nomine Jesu Christi a te peto sanctam perseverantiam et te ex toto corde amandi atque ex nunc voluntatem tuam sanctissimam in omnibus perfecte adimplendi gratiam.

Totum te, o mi Jesu, pro me obtulisti et mihi te donasti, ut et ego tibi me ipsum donem et sacrificem omnem meam voluntatem, cum mihi dicas: „Praebe, fili mi, cor tuum mihi!" Prov. 23, 26. Ecce Domine! ecce cor meum, voluntatem meam, omnia mea tibi dono et sacrifico. Sed tu nosti, quam infirmus sim: succurre mihi neve permittas, ut ad te offendendum amplius hanc meam voluntatem a te requiram. Noli, quaeso, Domine, hoc permittere. Fac potius, ut te semper amem et amem, quantum te debet amare sacerdos. Et sicut Filius tuus spiritum emittens dicere potuit: „Consummatum est," ita ego quoque moriens dicere possim, ab hodierna die me omnem voluntatem tuam adimplevisse. Effice, ut in omnibus tentationibus et te offendendi periculis ad te recurram et auxilium tuum per Jesu Christi merita implorem.

Tu mihi, beatissima Virgo Maria, hanc gratiam obtine, ut in omnibus tentationibus meis Deo me semper commendem et tibi quoque, quae omnia apud Deum vales.

Ad lucrandam indulgentiam plenariam hanc orationem recitabis:

En ego, o bone etc. pag. 52.

FERIA IV.

Ante missam.

Jesus flagellatur et spinis coronatur.

Pilatus quamquam Jesum Christum innocentem agnovit, tamen, ut Judaeis aliqua ex parte satisfaceret, flagellationi eum addixit sperans fore, ut eum ita a morte servare posset.

Jesus terribile istud tormentum subiit, ut aeterno Patri pro peccatis sensibus nostris commissis satisfaceret. Nunc prophetae prophetia impleta est: „Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras. Js. 53, 5. Non flagella igitur, o mi Jesu, sed peccata mea sanctissimam tuam carnem dilaceraverunt; etenim si pauciora comisissem peccata, paucioribus quoque affectus fuisses tormentis. Amo te, o summum bonum, et ex toto corde meo doleo, quod tantum te contempsi.

Milites a Judaeis nondum contentis incitati, ut spinis Dominum coronarent, denuo vestimenta corpori ejus detrahunt, circa humeros pannum purpureum affigunt, arundinem in manibus ejus ponunt et coronam spinis nexam capiti circumdant.

Meae, mi Jesu, turpes peccatis consensiones crudeles istae spinae fuere, quae tunc tanto dolore

caput tuum transfixerunt. Ecce nunc ea omnia detestor et odio habeo.

Postea Domino illuserunt, regem Judaeorum eum salutantes et faciem ejus percutientes. „Illudebant ei dicentes: Ave rex Judaeorum. Et dabant ei alapas.“ Matth. 27, 29. Joann. 19, 3.

Tunc quidem, o mi Jesu, rex opprobrii et dolorum apparuisti; attamen te verum regem et Dominum meum agnosco et gratias tibi ago et plus te amo, quam omne aliud bonum. Amo te, mi Jesu, pro me flagellatum et spinis coronatum. Effice, quaeso, ut omnibus relictis nihil aliud amem, nisi te solum.

O Maria, Dei mei mater! pro me Jesum exora.

Ad lucrandam indulgentiam 50 annorum hanc orationem recitabis:

Ego volo celebrare etc. pag. 40.

Post missam.

Video, o mi Jesu, quantum feceris, quantum passus sis, ut me quasi cogeres ad te amandum: et ego fui erga te tam ingratus. Quoties ob turpem aliquam voluptatem gratiam tuam rejeci et te, Deum animae meae perdidi. Erga creaturas fui gratus, erga te solum ingratus. Ignosce mihi, dilectissime Deus! Ecce enim peccatorum meorum me poenitet, et totum cor meum est contritum: attamen, cum ipsa sis in-

finita bonitas, veniam eorum spero. Nisi infinite esses misericors, omni spe amissa, non amplius a te misericordiam petere auderem.

Gratias tibi ago, o mi amor, quod nondum me, ut merueram, in infernum detrusisti, sed me tam diu patienter expectasti. Ah! haec sola patientia, qua me, o mi Deus, tulisti, cor meum tuo amore inflammare debebat. Quis est, qui me tanta tulerit longanimitate, nisi tu, qui es Deus infinitae misericordiae! Video te jam diu me sequentem, ut ad te amandum me allicias. Nolo amplius amori tuo resistere; ecce nunc totum me tibi dono. Satis longum tempus praeteriit, quo te offendi; nunc te amare volo. Amo te, summum bonum meum! amo te, bonitas infinita! amo te, mi Deus, qui infinito amore dignus es, et semper per omne tempus et per omnem aeternitatem repetam: Amo te, amo te, amo te.

Quot, o mi Deus, perdidi annos, quibus poteram te amare et in dies majores tui amoris thesauros colligere: et ad te offendendum eos adhibui. Sed, o Jesu, sanguis tuus spes mea. Spero fore, ut nunquam amplius te amare cessem. Quantum vitae meae temporis restet, nescio; sed annos meos residuos, sive pauci sunt sive multi, omnes et totos tibi consecro. Ecce, dilectissime mi redemptor! expectationem tuam explebo, te semper amabo, te solum amabo. Quid sunt hujus mundi voluptates? quid honores? Tu solus, mi Deus, tu solus es et in sempiternum eris amor meus et omnia.

Sed eheu, mi Domine, nisi tua me gratia adjuverit, nihil potero. Transfige cor meum, totum illud tuo sancto amore inflamma et tibi conjunge, sed conjunge intime, ne a te unquam possit separari. Tu te amantes amare promisisti: „Ego diligentes me diligo." Prov. 8, 17. Ecce ego amo te; ignosce, qua te precor, audaciam: tu quoque ama me neve permittas, ut unquam quid faciam, quod te ad interrumpendum tuum erga me amorem cogat. „Qui non diligit, manet in morte." 1. Joann. 3, 14. Ab hac morte, mi Deus, me custodi, qua te amandi potentia sim privatus. Effice, ut semper te amem, ut tu quoque me semper possis amare, ut mutuus noster amor in aeternum maneat neque unquam dissolvatur. Effice hoc, o Pater aeterne, per amorem Jesu Christi. Effice hoc, o mi Jesu, per merita tua, quibus fore confido, ut semper ego te et tu me sis amaturus.

Maria, mater Dei et mater mea! pro me Jesum exora.

Ad lucrandam indulgentiam plenariam hanc orationem recitabis:

En ego, o bone etc. pag. 52.

FERIA V.

Ante missam.

Pilatus Jesum populo monstrat dicens: Ecce homo!

Pilatus cum Jesum iterum reductum, vulneratum et dilaceratum videret et Judaeorum misericordiam, eum monstrando, commoveri posse putaret; cum afflicto Jesu in podium progressus populo dixit: „Ecce homo!" Jesus autem spinis coronatus et circum humeros panno purpureo indutus apparuit. „Exivit ergo Jesus portans coronam spineam et purpureum vestimentum." Joann. 19, 5.

Tu quoque, anima mea, salvatorem tuum in podio illo intuere et considera, qualem in statum amantissimus tuus redemptor, ut te, ovem perditam, salvaret, intraverit. Gratias tibi ago, o mi Jesu! Misericordias tuas, Domine, in aeternum cantabo.

Judaei Jesum videntes tantum abfuit, ut ad misericordiam permoverentur, ut voce magna clamarent: „Crucifige, crucifige eum?" Pilatus tamen quum Jesum innocentem esse intelligeret, liberare eum studuit; isti autem non cessarunt clamare: Crucifige, crucifige eum!"

Ego quoque, o mi Jesu, cum ex anima mea te

depellerem, paululum temporis te denuo pro me crucifigi volui; attamen, ut mihi ignosceres, in cruce vitam tuam voluisti sacrificare. Remitte, o mi Jesu, injuriam a me tibi illatam, cujus dolore confici velim. Poenitet me, infinita bonitas, quod antea te tantum despexi. Nunc super omnia te amo et gratiam tuam pluris aestimo, quam omnia coeli et terrae bona. Quid enim haec omnia mihi sine tua gratia prodesse possunt? Tu in mortem me amasti, in mortem et ego te amabo. Concede mihi sanctam perseverantiam; da mihi tuum sanctum amorem. Effice, ut per reliquos vitae meae dies ne in minimis quidem rebus tibi displiceam neve ad aliud quidquam tanto studio tendam, nisi ut te amem.

Totum me, sanguis mei Jesu, amore sancto inebria. Effice, o mors mei Jesu, ut omni terrestri amori moriar. Libera me, dilectissime mi redemptor, de inferno, quem toties merui. In inferno enim non amplius te amare possem, in inferno sanguini tuo, morti tuae et omnibus gratiis a te mihi donatis cogerer maledicere.

Te, o Jesu, amare volo, te solum amare desidero. Da mihi te amandi gratiam, et quod tibi placuerit de me facias.

O Maria, mater peccatorum! sucurre peccatori, qui vult Deum amare et tibi sese commendat. Quicunque te implorat, exaudis eum: exaudi me quoque per tuum Jesu Christi amorem, quem intime amas.

Ad lucrandam indulgentiam 50 annorum hanc orationem recitabis:

Ego volo celebrare etc. pag. 40.

Post missam.

Ecce Deus infinitae majestatis! ante pedes tuos proditorem istum, qui toties et tam graviter te offendit. Tu mihi toties ignovisti, et ego tot gratiis et luminibus a te mihi datis non commotus denuo te offendi. Alii peccaverunt in tenebris, ego in media luce te tam gravibus offensionibus affeci. Sed audi, Domine, Filium tuum, quem tibi obtuli et in corde meo nunc amplector, pro me interpellantem et misericordiam veniamque rogantem. Per tuum igitur Jesu Christi amorem mihi ignosce, quoniam ex toto corde meo me poenitet, quod te, infinita bonitas, offendi.

Scio te per Jesu Christi amorem facile reddi peccatoribus placabilem: „Complacuit per eum reconciliare omnia in ipsum.“ Col. 1, 19. Per Jesu Christi igitur amorem mihi quoque esto placabilis. „Ne projicias me a facie tua,“ sicut mereor; ignosce mihi, o mi Deus, et tu ipse cor meum immuta. „Cor mundum crea in me, Deus; et spiritum rectum innova in visceribus meis.“ Fac hoc saltem propter honorem tuum, quoniam me elegisti sacerdotem et servum tuum, destinatum ad sacrificandum

tibi Filium tuum unigenitum. Concede mihi gratiam ita vivendi, ut sacerdotem decet; da mihi cor, quod te tanto amore amet, quanto te amare debet sacerdos. Ah! Sanctis tui amoris flammis omnem in corde meo amorem terrestrem combure et dele. Fac, ut ab hodierna die tot gratiis a te mihi collatis tantoque amori a te mihi impenso gratus existam. Hucusque amicitiam tuam despexi; nunc autem pluris eam aestimo, quam omnia hujus mundi regna, et beneplacitum tuum omnibus coeli terraeque thesauris et voluptatibus praefero.

Per amorem Jesu Christi, o Pater aeterne, ab omnibus me avelle. Tu sacerdotes habere vis ab omnibus mundi rebus abstractos, tibi soli et operibus in gloriam tuam spectantibus viventes. „Segregate mihi Paulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos." Act. 13, 2. Hoc idem, Domine, a me quoque postulas, et ecce facere propono, dummodo non desit mihi gratiae tuae auxilium. Ad te me totum trahe. Largire mihi patientiam et resignationem in tribulationibus et in rebus adversis. Da mihi gratiam voluntariae per tuum amorem mortificationis. Infunde mihi verae humilitatis spiritum, quo eo adducar, ut contemptus mei et defectuum meorum manifestationes mihi complaceant. „Doce me facere voluntatem tuam," et tunc mihi dicas, quid velis, ut faciam: et ecce omnia perficiam. Dignare, Domine, a peccatore amari, qui antea te nimis offendit, sed nunc

te amare et totus tuus esse vult. Spero, mi Deus aeterne, fore, ut in aeternum te amem, ideoque hac jam vita valde te amabo, ut aeternitate amore ardentissimo te possim amare.

Et quia te amo, o mi Deus, ut ab omnibus hominibus cognoscaris et ameris, summopere desidero. Quoniam me sacerdotem fecisti, da mihi gratiam pro te laborandi et permultas animas ad te adducendi. Haec omnia spero per tua, o Jesu, merita et per tuam, Maria, mater mea, intercessionem.

Ad lucrandam indulgentiam plenariam hanc orationem recitabis:

En ego, o bone etc. pag. 52.

FERIA IV.

Ante missam.

Jesus a Pilato morti addictus crucem in montem Calvariae bajulat.

Pilatus jam judicium facit et Jesum condemnat, ut in cruce moreretur. Injusta Pilati sententia legitur, sententia ab aeterno Patre, qui Filium suum unigenitum pro nostra salute mori voluit, diu antea lata. Qua audita, Jesus aequo animo et humiliter

se divinae voluntati subjicit, ut nos moriendo a morte aeterna, quam merueramus, redimeret. „Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.“ Phil. 2, 8.

Mortem, o mi Jesu, suscipis, ut mihi vitam aeternam tribuas. Nisi pro me fuisses mortuus, in aeternum periissem. Ideo, mi amor, gratias tibi ago; nam mors tua spes mea. Et quia tu, mi Jesu per amorem mei mortem suscepisti, ego quoque per amorem tui mortem meam suscipiam eamque eo tempore et eo modo, quo tibi placuerit, cum omnibus, quae eam sequentur, doloribus accipiam. Concede mihi, quaeso, gratiam, qua cum desiderio moriar, per mortem meam te gaudio afficiendi et tuam voluntatem adimplendi.

Ecce Jesus, relicta Pilati domo, cruce super humeris posita, in montem Calvariae, ubi supplicium exigeretur, se confert.

Tu quoque, anima mea, spectaculum illud, quo nullum majus unquam mundus vidit, aspice. Ecce Deum tuum, omnium rerum creatorem pro creaturis suis morientem. Illuc, mi Jesu, mi redemptor, te confers, ut pro me moriaris. Ecce non amplius te deseram, sequar te, moriar tecum. Antea miser ego peccator te dereliqui, a te discessi; nunc autem plus te amo, quam omne aliud bonum; nunc ex toto corde meo doleo, quod te offendi; nunc tibi usque ad mortem a te nunquam me discessurum esse

promitto. Intimo amore te, mi Deus, amplector et tecum conjunctus vivere et mori volo. Ah! noli unquam mihi gratiam tuam demere.

Et tu quoque, o Maria, advocata mea, praesidium meum! ne tua me intercessione unquam prives!

Ad lucrandam indulgentiam 50 annorum hanc orationem recitabis:

Ego volo celebrare etc. pag. 40.

Post missam.

Quomodo potuisti, mi Jesu, inter tot homines sacerdotem tuum me eligere, me, qui toties a te recessi et pro nihilo habui gratiam tuam? Doleo, dilectissime Domine, doleo ex tota anima de his offensionibus a me tibi irrogatis. Num mihi, dicas, quaeso, ignovisti? Utinam te, mi redemptor, nunquam offendissem! Fac, ut audiam, quod dixisti Mariae Magdalenae: „Remittuntur tibi peccata tua." Fac, ut ex magno de peccatis meis dolore in gratiam tuam me receptum esse cognoscam.

„In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me, Domine Deus veritatis!" De coelis, divine pastor, descendisti, ut me, tuam ovem perditam, quaereres; et quotidie in salutem meam super altare descendis; dedisti vitam, ut me salvares. Noli, precor, me deserere. In manus tuas commendo animam meam; eam pro

misericordia tua recipe neve amplius a te separari permittas.

Omnem sanguinem tuum pro me fudisti. „Te ergo, quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.“ Nunc es advocatus meus, nondum judex; impetra mihi ab aeterno tuo Patre veniam, impetra mihi illuminationem et fortitudinem te ex tota anima mea amandi. Gratiam mihi largire reliquos vitae meae dies ita vivendi, ut te, quando judicem aspiciam, mihi placatum inveniam.

Dominare cum amore tuo in toto corde meo. Fac, ut totus tuus sim; et ideo, mi redemptor, tui erga me amoris semper recordare, et quantum feceris, ut me salvares et a me amareris. In hunc solum finem sacerdotem me fecisti, ne aliud quidquam amem, nisi te solum.

Vere, Domine, tuam in omnibus sequi volo voluntatem. Da mihi humilitatem, in omnibus hujus vitae tribulationibus patientiam, in contumeliis mansuetudinem, in gaudiis terrenis mortificationem, ab omnibus creaturis abstractionem. Fac, quaeso, ut omnem, qui ad te non tendat, affectum ex corde meo depellam. Haec omnia a te rogo, a te spero per passionis tuae merita. O amantissime Jesu! o dilectissime Jesu! o mi bone salvator! audi me. O bone Jesu! exaudi me.

Tu quoque, Maria, mater mea et spes mea! exaudi me et Jesum pro me ora.

Ad lucrandam indulgentiam plenariam hanc orationem recitabis:

En ego, o bone etc. pag. 52.

SABBATO.

Ante missam.

Jesus doloribus confectus, praesente afflicta matre Maria, in cruce moritur.

Cum Jesus in montem Calvariae pervenisset, milites denuo vestimenta ei detrahunt et in crucem eum prosternunt. Redemptor noster manibus extensis aeterno Patri permagnum suimet ipsius sacrificium pro hominum salute offert. Ecce jam claves, jam malleos arripiunt, manus et pedes salvatoris perforant, cruci eum affigunt, ut in ea moreretur.

Quomodo, o homines, Deum vestrum per amorem vestri morientem non amare, quomodo despicere potuistis?

Jesus in cruce! Ita Dominus postremum in terra apparet. Ecce amoris, quo divinum cor Jesu Christi ardet, argumentum! Sanctus Franciscus de Paula, Jesum aliquando contemplans voce magna exclamavit: „Deus, inquit, amor est, Deus amor

est." Ah! Quis est, qui explicet et concipiat magnitudinem amoris, quem Deus, cum pro nobis miseris et ingratis peccatoribus mori vellet, nobis praestitit?

Attamen, o mi Jesu, cum id scirem, amorem tuum sprevi, gratiam tuam rejeci. Sed sanguis tuus spes mea. Doleo plus quam de omnibus aliis malis, mi Jesu, mi amor, quod te dereliqui. Amo te ex intimis animae meae visceribus, amo te super omnia et promitto tibi, me ab hodierna die nihil aliud, nisi te solum esse amaturum.

Corde humili et contrito, anima mea, ad crucem accede, in qua moriens tuus redemptor pendet. Osculare hoc altare, super quo creator tuus oblatus et doloribus confectus moritur. Lava te sanguine a sanctissimis illis pedibus defluente. Omnia peccata tua eo ablue, et te per eum omne bonum adepturum esse spera. Nolo, dilectissime Jesu, nolo amplius esse meus; totus tuus esse volo. Dic mihi, quaeso, quid a me postules: ecce omnia perficiam. Omnia a bonitate tua spero.

Sed et a tuo adjutorio, Maria, mater mea, cuncta spero.

Ad lucrandam indulgentiam 50 annorum hanc orationem recitabis:

Ego volo celebrare etc. pag. 40.

Post missam.

„Loquere, Domine, quia audit servus tuus.“ 1. Reg. 3, 9. Veni, dilectissime mi Jesu! Hodie denuo ad visitandam animam meam appropinquasti; ex toto corde meo tibi gratias ago. Nunc cum in corde meo sis, loquere et dic mihi quid a me poscas. Ecce quaecunque volueris faciam. Equidem quum toties cor meum obduraverim voci tuae ad amorem tuum me vocanti; quum toties tergum tibi verterim, dignus essem, quocum amplius non loquereris. Sed de omnibus, quas tibi irrogavi, offensionibus et injuriis jam summopere dolebam; et nunc denuo doleo et spero, te eas mihi jam remisisse. Dic ergo mihi, quid de me velis; ecce omnia tibi adimplebo.

Utinam te, mi Deus, semper amassem! Sed heu me miserum, qui tot annos perdidi! Tuus tamen sanguis, tuae promissiones spem mihi erigunt, fore, ut in posterum possim tempus perditum compensare id unum spectando, ut te amem et tibi complaceam.

Amo te, o mi redemptor! amo te, o mi Deus! neque aliud quidquam desidero, nisi ut ex toto corde meo te amem, ut etiam tui amore moriar, qui mei amore mortuus es. Dicam tibi cum sancto Francisco: „Amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori.“

Tu, mi Jesu, totum te mihi dedisti: dedisti pro me sanguinem tuum, vitam tuam, omnem sudorem tuum, omnia merita tua ita, ut nihil amplius mihi

dare possis. Ecce et ego me totum tibi dono: dono tibi omnia animae meae desideria, omnes hujus terrae voluptates, corpus meum, animam et voluntatem meam; ecce mihi non restat, quod tibi donem, et si haberem, libentissime tibi donarem. Tu solus, o dilectissime mi Jesu, mihi sufficis.

Sed, Domine, fac, ut tibi fidelis perseverem; noli permittere, ut hanc voluntatem meam mutem et te denuo deseram. Per passionem tuam, mi redemptor, spero, id mihi nunquam esse obventurum. Dixisti: „Nullus speravit in Domino, et confusus est" Eccl. 2, 11. Confidenter igitur ego quoque dicere possum: „In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum."

Tu es, Domine, omnipotens: sanctum me redde; fac, ut intime te amem, ut nihil eorum omittam, quae ad gloriam tuam pertinere cognovero, ut te et amorem tuum lucrifaciam. Cum in hunc finem mihi vitam dederis, fac, ut totam eam pro te consumam. Equidem non mereor gratias, sed poenas; sed Domine, puni me, ut tibi placet, dummodo ne me tuo amore prives. Tu totus me dilexisti, ego quoque totus te diligam, infinita bonitas! infinite amor! Tu pro me mortuus es; utinam et ego possim pro te mori et moriendo efficere, ut omnes homines te ament! O infinitum bonum! o Deus infinite amabilis! ego te super omnia aestimo et diligo.

O Maria! totum me ad Deum trahe; da mihi firmam in te fiduciam et a Deo impetra, ut sub tuum praesidium semper confugiam. Penes tuam intercessionem est mea sanctificatio. Intercessionem tuam mihi, spero, non negabis. Vivat Jesus, amor meus, et spes nostra Maria!

Ad lucrandam indulgentiam plenariam hanc orationem recitabis!

En ego, o bone etc. pag. 52.

III.

SANCTI ALPHONSI M. DE LIGUORIO

CONSIDERATIONES ET AFFECTUS

ANTE ET POST MISSAM.

HEBDOMAS II.

DIE DOMINICA.

Ante missam.

De stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus populi sui. Psalm 112, 7.

Considera, sacerdos, te non potuisse efferri ad majorem in terra dignitatem ea, qua te Deus honoravit. Ad quam altiorem celsitudinem te poterat sublimare, quam te constituere in terra eorum ministrum negotiorum, quae ad summum ipsius honorem pertinent. Permisit tibi altare ascendere et offerre ipsi unigeniti Filii sui sacrificium. Quantas gratias dare, quantas electiones facere Deus debuit, ut te sacerdotem faceret? Primum te inter innumeras creaturas possibiles electum in mundo posuit. Deinde te ex tot millibus infidelium et haereticorum in vera ecclesia collocavit, nasci te dedit christianum et catholicum. Denique ex tot millibus fidelium te selegit, ut sacerdotio fungereris.

O si Deus unicum in toto orbe terrarum hominem sacerdotii dignitate decorasset, qui potestatem haberet Verbum incarnatum in terram devocandi

et animas ab inferno liberandi, absolvendo eas a peccatis: quantam ab hominibus venerationem perciperet talis unus sacerdos? Et ipse quantas gratiarum actiones Deo offerret? Quid pro Deo faceret videns, ad tantum prae omnibus aliis hominibus honorem se esse electum et elevatum? Sed recogita, sacerdos, tuam dignitatem et tua erga Deum officia magno sacerdotum in terra viventium numero minime minui.

Optimo igitur jure Deus exigit, ut omnis sacerdos totus Dei sit. Vocatur sacerdos in sacris scripturis homo Dei, vir Dei, homo, qui nullius esse debet, nisi Dei. Veteris testamenti sacerdotes super victimas manus extendebant significantes, se esse paratos, ut, quemadmodum animalium vitam Deo offerrent, ita suam quoque ipsorum vitam Deo sacrificarent. Simili modo novi testamenti sacerdotes, dum manus super oblata expandunt, significant, quod ipsi in unione vitae Jesu Christi, quam in sancto sacrificio offerunt, suam vitam et totos semetipsos Deo sacrificare debeant.

Ecce, sacerdos, jamjam altare appropinquas, ubi paucis verbis Verbum divinum in manus tuas devocabis, et ad vocem tuam panis et vini substantia in corpus et sanguinem Jesu Christi convertetur. Ad altare accedis tamquam totius generis humani legatus, ut pro sancta ecclesia et pro omnibus hominibus apud Deum intercedas. Praepara igitur animam tuam per sequentes

Affectus.

In me praecipue, mi Deus, illud a Davide, propheta tuo, dictum verificatur: „De stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus populi sui.“ Ecce ego, miserrimus peccator, qui ob iniquitates meas tot annos jam meritus sum in infernum dejici, daemonum pedibus conculcari, ab omnibus et a te quoque, dilectissime Domine, deseri, nunc accedo ad celebrandam missam, ad offerendum tibi dilectissimum Filium tuum. Ecce post pauca momenta ad verba mea rex coeli, Verbum aeternum, super altare descendet et in manus meas veniet, ut illud tibi offeram et postea me sanctissima ejus carne cibem.

Ego, Deus animae meae, ego sacerdos! Ego, qui toties a te recessi, qui pro nihilo, pro brevi eaque venenosa voluptate amicitiam tuam vendidi, tuae gratiae, tuo amori renuntiavi! Ah! quomodo ex tot millibus animarum innocentium et tibi fidelium me sacerdotem eligere potuisti?

Illumina me, Domine, et adauge fidem meam. Noverim te, noverim me! Da mihi, ut cognoscam, quis sis tu, qui te mihi hodie donare vis; et quis sim ego, qui te in corde meo recipiam. O mi Deus! animam meam, priusquam altare ascendam, per merita sanguinis tui ab omnibus maculis lava. Ignosce mihi, o mi Jesu, antequam in manus meas et in cor meum venies. Offendi te, o bonitas infinita! displi-

cui tibi. Ecce doleo ex toto corde meo et ex tota anima mea.

Credo, mi salvator, te esse Filium Dei pro me mortuum et nobiscum in sanctissimo sacramento manentem, ut a sacerdotibus offeraris et cibus noster fias. Passioni tuae et promissionibus tuis confidens gratiam spero te semper amandi et in aeternum possidendi. Amo te, o dilectissime redemptor, et amo te plus quam me ipsum. Et quia te amo, de multis, quibus te affeci, offensionibus ex toto corde meo doleo idque ob hanc tantum causam, quod te, infinita bonitas, offendi.

Amo te, mi Deus, sed justo minus te amo. Amare te velim, ut a sacerdote amari mereris. Recipere te velim in corde meo eo amore, quo tot animae tuo amore ardentes te receperunt. Tu me tuo sancto amore incende et effice, ut totus tuus sim.

Offero tibi, Pater aeterne, hoc sacrificium in gratiarum actionem pro beneficiis hominibus a te collatis, inprimis pro illis, quae sanctissimae Jesu Christi humanitati, beatae Virgini Mariae, angelo meo custodi et omnibus sanctis patronis meis contulisti. Et per merita Filii tui sanctam a te peto perseverantiam, tuum amorem et omnes alias gratias, quas Jesus, Maria et sancti intercessores mei a te pro me petunt.

Ad lucrandam indulgentiam 50 annorum hanc orationem recitabis:

Ego volo celebrare etc. pag. 40.

Post missam.

Adoro te, dilectissime mi Jesu, qui sub humilibus panis et vini speciebus in cor meum divertisti; ad pedes tuos prostratus gratias ago pro bonitate tua, qua me miserum peccatorem, qui te toties ex corde meo expuli, visitare voluisti.

Recordans, o mi redemptor, offensionum, quas tibi per totam vitam meam irrogavi, dolore confectus mori velim. Gratias tibi ago, quod mihi ad reparandam injuriam tempus reliquisti. Antea amorem tuum despexi; sed ab hodierna die nihil aliud amabo, nisi te; nihil aliud appetam, nisi beneplacitum tuum. Ab hodierna die tu, mi Deus et omnia, unicum bonum meum eris et unicus amor meus. Tibi, amor animae meae, me totum donabo. Quod si ego ipse, ut debeo, facere non potero, tu me coge. „Trahe me post te in odorem unguentorum tuorum." Verbum incarnatum, Deus meus, qui summo hominum amore ardes: per suavitatem et fortitudinem amoris tui totum me ab omnibus terrenis affectibus abstrahe et ad amorem tuum trahe. Fac, ut vere dicere possim: „Quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram nisi te, Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum?"

Ex memetipso nihil possum, sed tua gratia adjutus omnia valeo. „Omnia possum in eo, qui me confortat." Phil. 4, 13. Dixisti eum a te exaudiri, qui te rogaret. „Petite, et ac-

cipietis." Ecce gratiam, quam a te peto: da mihi sanctam perseverantiam, da mihi amorem tuum: nihil aliud a te peto. Exaudi me, mi Jesu, per passionis tuae merita.

Intercessio tua, Maria, regina mea et advocata mea, omnia valet. Apud Jesum pro me intercede! Exaudi me, mater mea, per tuum Jesu Christi amorem!

Ad lucrandam indulgentiam plenariam hanc orationem recitabis:

En ego, o bone etc. pag. 52.

FERIA II.

Ante missam.

„Hoc facite in meam commemorationem" Luc. 22, 19.

Viri quidam in sancta theologia bene versati dicunt, sacerdotes sacrosanctam missam celebrantes secundum verba illa ad memoriam passionis et mortis Jesu Christi faciendam esse obligatos. Idem et Apostolus requirere videtur ab iis, qui sanctam communionem recipiunt: „Quotiescunque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis." Scribit sanctus Thomas, redemptorem nostrum nobis

sanctissimum reliquisse sacramentum in hunc praecipue finem, ut memoriam magni boni, quod nobis obtinuit, et amoris, quem pro nobis moriendo exhibuit, in cordibus nostris conservaret. Quare sanctus ille ecclesiae doctor altaris sacramentum passionis memoriale vocat.

Considera igitur, sacerdos, sanctam illam victimam, quam offeres, eundem esse Dominum, qui pro te in cruce vitam et sanguinem dedit.

Verum missa non memoriale tantum est sancti crucis sacrificium, sed idem sacrificum. Idem est, qui se offert; eadem victima, Verbum scilicet incarnatum; utriusque modus tantum differt. Illud enim cruentum, hoc incruentum; in illo mortuus est Jesus Christus realiter, in hoc mysticam mortem obit. Una eademque est hostia, sola offerendi ratione diversa. Trid. Sess. XXII. Recogita igitur, dum celebras, te constitutum esse in monte Calvariae, ut Deo offeras dilectissimi Filii sui vitam et sanguinem. Imaginare tibi, dum sanctam communionem recipis, te quasi de vulneribus redemptoris sanguinem ipsius pretiosum sugere.

Porro considera, in qualibet missa redemptoris opus ita renovari, ut, nisi Jesus Christus semel in cruce mortuus fuisset, dum missa celebratur, ea ipsa mundo obvenirent bona, quae mors salvatoris nostri nobis obtinuit. Tantum valet celebratio missae, quantum mors Jesu in cruce. Per sacrificium altaris hominibus, imprimis sacerdotibus, illud

offerentibus, omnia passionis Christi merita applicantur.

Quare s. Franciscus Seraphicus, qui se indignum esse putans sacerdotii dignitatem ascendere noluit, sacerdotes admonet, ut ab omnibus hujus mundi rebus abstracti ad amorem et honorem Dei, qui tantopere eos amaverit et honoraverit, tendant. Nimis magnam esse adjungit eorum sacerdotum infelicitatem, qui Jesum in altari sibi adeo vicinum habentes cuipiam rei terrenae cor affigant. „Videte, ait, sacerdotes, dignitatem vestram, et sicut super omnes propter hoc mysterium honoravit vos Dominus, ita et vos diligite et honorate. Magna infirmitas, quando Jesum sic praesentem habetis et aliud in toto mundo curatis.“

Affectus.

Domine! non sum dignus, qui coram te compaream; sed bonitate tua, qua me quamvis indignum sacerdotem tuum elegisti, erectus et confirmatus hodie ad offerendum tuum Filium accedo. Offero igitur tibi, mi Deus, agnum immaculatum in satisfactionem pro meis et omnium hominum peccatis. Ecce agnus Dei! Ecce agnus, quem vidisti quondam in ara crucis pro gloria tua et salute nostra immolatum. Amore hujus tibi tam charae victimae permotus animae meae ejus merita converte et omnia,

quibus hucusque tibi displicui peccata, sive gravia sive levia, mihi remitte. Ex toto corde me poenitet, quod te, bonitas infinita, offendi.

Et tu, mi Jesu, veni, et antequam te recipiam, sanguine tuo omnes sordes meas lava. Domine! non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo et sanabitur anima mea. Non sum dignus, qui te recipiam; sed tu, coelestis medice, uno verbo omnia potes sanare vulnera mea. Veni et sana me.

„Erravi, sicut ovis, quae periit.“ Ego quum a te, mi redemptor, fugerem, illa ovis sum mea sponte perdita. Sed tu es pastor ille bonus, qui vitam dedisti, ut me salvares. „Quaere servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.“ Ps. 118, v. ult.

Quaere me, mi Jesu! ne me derelinquas. Quaere me et tuis humeris me impone; ego enim propono, quantum possum, tibi servire et te amare.

Dixisti: „Oves meae vocem meam audiunt, et non rapiet eas quisquam de manu mea.“ Me ad amorem tuam vocas; ecce omnia relinquo et ad te, o vita mea, venio. In omnibus tibi obedire volo. Omnibus mundi voluptatibus abrenuntio, quia me hoc mane sanctissima tua carne pascere dignaris.

Amo te, mi Jesu, super omnia bona, et ut magis te amem, te recipere desidero. Tu te totum mihi donas, et ego me totum tibi dono. Esto mihi in

sempiternum omnia, unicum bonum meum, unicus amor meus.

Impetra mihi, o Maria, mater mea, aliquid illius humilitatis et fervoris, quo tu in sacris communionibus tuis Jesum recepisti.

Ad lucrandam indulgentiam 50 annorum hanc orationem recitabis:

Ego volo celebrare etc. pag. 40.

Post missam.

De coelis, divine pastor, descendisti, ut me, ovem perditam, quaereres; et ego, quum tergum tibi verterem, te denuo perdidi: „Erravi, sicut ovis, quae periit; quaere servum tuum.“ Psalm 118, 176. Spero, mi Jesu, quod offensiones a me tibi irrogatas remiseris; quod si nondum factum sit, nunc, postquam in cor meum venisti, mihi eas ignosce. Ex toto corde meo me poenitet, quod antea gratiam tuam tantopere sprevi; nunc eam omnibus aliis bonis pluris aestimo, et millies vitam perdere malo, quam te denuo offendere. Quid mihi sine gratia tua mea vita prodesset?

Pro omnibus, dulcissime salvator, es mortuus, ut unusquisque sibi vivere desinat et tibi soli, qui pro nobis vitam tuam dedisti, vivat. „Et pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit“ II Cor. 5, 15. Antea tui obliviscebar et mihi soli

vivebam; ab hodierna die tibi soli vivam, qui pro me mortuus es. Omnibus oblivioni datis, id tantum cogitem, ut te amem, qui me tantopere amasti. Quod ut perficiam, tuum mihi necessarium est auxilium, quod spero ob promissiones tuas, te quodcunque petierimus a te in nomine tuo, nobis esse daturum. „Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.“ Joann. 14, 14. Per merita igitur passionis tuae, mi Jesu, rogans firmissime spero fore, ut me exaudias.

„Adveniat regnum tuum.“ Totius animae meae, mi Jesu, dominare neve permittas, eam contra te denuo rebellare. Amo te, bonitas infinita, et te imploro: „Ne permittas me separari a te.“ Da prius, ut moriar, quam ut me denuo amicitia tua privatum videam. In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum.

Ad lucrandam indulgentiam plenariam hanc orationem recitabis:

En ego, o bone etc. pag. 52.

FERIA III.

Ante missam.

„Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.“ Matth. 17, 5.

Veteris testamenti homines innumeris Deum honorabant sacrificiis; in nova autem lege Deus ex

una sola missa plus honoris percipit, quam ex omnibus sacrificiis antiquis, quae nihil aliud erant, nisi hujus sacrificii figura et umbra. Tantum Deus per missam honoratur, quantum honorari meretur. Etenim in ea idem, quem ipse dedit Christus in cruce se offerendo, honor renovatur. Una sola missa plus Deo praebet honoris, quam ei dederunt et dabunt omnes Sanctorum orationes et poenitentiae, omnes apostolorum labores, omnia martyrum tormenta, omnes Seraphinorum ipsiusque divinae matris Mariae ardores. Ecce, o sacerdos, a te, per manus tuas hunc tantum honorem Deus vult recipere.

Justissimum est, pro omnibus et immensis beneficiis, quae Dei bonitas nobis largita est, gratias ei reddi. At quas gratias referre poterimus Deo nos miseri et miserabiles? Si Dominus unum solum signum quoddam amoris sui simplex nobis praestitisset, quum hoc donum esset et favor Dei infiniti, infinitam jam a nobis mereretur retributionem. Sed ecce ipse nobis designat, quid nobis sit faciendum, ne in tantis obligationibus confundamur; ipse nobis dat, quo justas ei gratias reddamus. Et quomodo istud fiet? — Jesum illi in missa offerendo maximas Deo referimus gratias et debitum nostrum adimplemus.

Magna haec victima, quae Deo offertur, ipse Dei filius est, in quo ei bene complacet. Vita Dei sacrificatur, qui in consecratione et sumptione mystica morte consumitur. Ita David Domino pro

omnibus beneficiis sibi collatis gratias agebat: „Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam.“ Psalm. 115, 13. Ita Jesus ipse aeterno Patri gratias egit pro beneficiis humano generi tributis: „Et accepto calice gratias egit et dixit: Accipite et dividite inter vos.“ Luc. 22, 17.

Affectus.

Quomodo, Deus meus et creator meus, ad tantam me eligere potuisti dignitatem, ut, quum superiore vitae meae tempore te tantum inhonorassem injuriis a me tibi factis, nunc te per oblationem Filii tui honorarem. Inferni poenas promerui, et sacerdotem me fecisti, gloriae tuae ministrum!

Quum igitur magnum illud sacrificium de manu mea accipere non dedigneris, miserrimum cor meum cordi Jesu Christi conjungo et in nomine ejus in agnitionem supremi dominii tui illud offero. Infinitam majestatem tuam ab omnibus hominibus adorari et amari desidero. Abluat honor, quem tibi hodie exhibeo, offerendo tibi Filium tuum unigenitum, omnes contumelias, quibus te homines peccando affecerunt et quotidie afficiunt.

Simul per hanc missam pro omnibus beneficiis universo mundo, praesertim mihi misero, qui propter ingratitudinem meam penitus a te deseri merebar, collatis gratias tibi agere intendo. Ego continuo peccata mea multiplicavi, tu quotidie in me multi-

plicasti beneficia. Quare gratias tibi ago, o bonitas infinita, potius vel Jesus Christus pro me gratias agat.

Per merita Jesu Christi te, Domine, suppliciter exoro, ut illumines me, inflammes me, abstrahas me a terra neve permittas, ut tantae tui amoris teneritudini amplius resistam. Amo te, o summum bonum, ex toto corde meo. Cuncta relinquam, ut tantummodo tibi, mi Deus infinita charitate dignissime, complaceam. Effice, Domine, ut in dies amoris tui magnitudinem magis cognoscam, ut in amore tuo crescam, ut in omnibus sine ulla reservatione me tuae voluntati conformare intendam.

Demonstrasti, Domine, te animae meae valde esse amantem: et ego aliud quidquam amare possim praeter te? — Hoc a me longe absit. Ab hac hora tibi soli vivere, te solum amare volo, quia solus totum amorem meum mereris. O Pater aeterne! per sanguinem Jesu Christi pro me effusum confidenter spero, te meum illud desiderium esse adimpleturum. A te fugientem me tantopere amasti; multo amplius a te sperare possum te quaerens neque aliud quidquam, nisi tuum amorem desiderans.

O Maria, mater mea, quae Deum, quem nunc sum percepturus, in visceribus tuis portasti: adjuva me, ut cum humilitate et amore eum recipiam.

Ad lucrandam indulgentiam 50 annorum hanc orationem recitabis:

Ego volo celebrare etc. pag. 40.

Post missam.

Precor te, mi Jesu et mi Deus, ut in dies magis intelligam, quam infinitum bonum sis et quam immenso in me amore arseris, quum per totam vitam tuam pro me pati et per amorem mei mori et toties te mihi in sancta communione donare volueris. Scribit s. Chrysostomus: „Semetipsum nobiscum commiscuit, ut quasi unum efficeremur; hoc enim proprium est ardenter amantibus." Vere, mi Jesu, propter intimum tuum, quo erga me ardes, amorem cibus mihi fieri voluisti, ut unum tecum fierem.

Veni igitur, mi Deus, in animam meam et totam tuam eam redde. Veni et ex ea fuga omnes affectus terrenos, ut te solum amem, de te solo cogitem, de te solo loquar, te solum appetam, te solum quaeram. Quid tandem amem, nisi te, qui es infinita bonitas, qui me tantopere amasti, ut pro me mori velles? Quomodo, mi Jesu, ex multis tuis fidelibus servis ingratissimum me sacerdotem eligere potuisti? Toties a te me averti, et tamen quotidie in cor meum venire dignaris. Heu me miserum, si post tot gratias mihi collatas denuo te perderem! Nunc, mi Deus, amo te ex tota anima mea et summopere doleo, quod te offendi. Non amplius te offendam, ex toto corde meo te amabo, dummodo me adjuves, dummodo me non deseras. Vulnera tua, ut ait s. Bernardus, merita mea. Vulnera tua, mors tua, sanguis tuus spes mea. Largire mihi sanctam per-

severantiam; effice, ut in omnibus tentationibus ad te semper recurram. Adauge mihi tuam charitatem et quodcunque tibi placuerit de me facias.

O Maria, regina mea! impetra mihi gratiam tibi me semper commendandi. Quicunque enim sub tuum praesidium confugerit nunquam a diabolo vincetur.

Ad lucrandam indulgentiam plenariam hanc orationem recitabis:

En ego, o bone etc. pag. 52.

FERIA IV.

Ante missam.

„Ipse est propitiatio pro peccatis nostris."
1 Joann. 2, 2.

Considera, per sanctissimum altaris sacrificium poenas peccatis impositas remitti, et immensas pro peccatoribus misericordias obtineri. O quam pauperes essemus, nisi tantum illud sacrificium haberemus, quo divina justitia retardatur, ne poenas, quas culpa nostra meretur, exequatur. Certum est, Dei contra peccatores iram non potuisse placari omnibus veteris testamenti hostiis. „Numquid placari potest Dominus millibus arietum." Mich.

6, 7. Sacrificata omnium hominum et angelorum vita ne pro una quidem culpa a creatura contra creatorem commissa condigne posset divinae justitiae satisfacere. Solus Jesus Christus Deo pro peccatis nostris superabundanter satisfacere potuit. „Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.“ Et ad id Pater aeternus eum in mundum misit, ut homo factus mortalis vitae suae sacrificio Deum peccatoribus redderet placabilem. Quod sacrificium renovatur, quotiescunque missa celebratur.

Considera igitur, sacerdos, eximium tuum officium, per quod mediator esse debes inter Deum et homines, offerendo illi in altari Jesu Christi vitam et merita, ut donet peccatoribus lucem, conatum ad poenitendum, remissionem peccatorum. „Hac oblatione placatus Deus, gratiam et donum poenitentiae concedens, peccata etiam ingentia dimittit“ Trid. Sess. 22. cap. 2. Vox sanguinis innocentissimi redemptoris, quanto fortius et melius implorat pro nobis pietatem, quam vindictam clamavit contra Cain sanguis Abel! „Accessistis ad mediatorem Jesum et sanguinis aspersionem, melius loquentem quam Abel.“ Hebr. 12, 24.

Affectus.

Iratus es, o summe Deus, contra peccatores et optimo jure iratus es, quum pro tanto tuo amore nil retribuant, nisi ingratitudinem. At quamvis in-

gentia sint mundi peccata, majus tamen est donum et sacrificium, quod tibi hodie offeram. „Non sicut delictum, ita et donum“ Rom. 5, 15. Offero tibi, Domine, hoc mane ipsius dilectissimi Filii tui sacrificium. Haec victima tibi dilecta te placabilem reddat et ad misericordiam in omnes miseros peccatores commoveat, qui te aut non cognoscunt aut cognoscentes amare nolunt et tua gratia privati vivunt. Da illis lumen et fortitudinem de statu miserabili, in quo caecitate retinentur, exeundi.

Rogo te, Domine, pro omnibus, praesertim pro me ipso, qui majoribus, quam alii, beneficijs cumulatus te toties offendendo et contemnendo aliis ingratior extiti. Per amorem Jesu Christi, mi Deus, ignosce mihi omnia peccata mea mortalia et venialia, omnes impatientias, mendacia, intemperantias, distractiones, in officio et oratione negligentias; doleo enim de eis, quia tibi displicent, o bonitas infinita, quae omnium et specialiter mei, sacerdotis infinito amore digna es.

Amo te, o bonitas infinita, et super omnia te amo. Promitto tibi malle mori, quam vel in minima re deliberate tibi displicere. Ah! mi Jesu, mors tua, sanguis tuus spes mea. Per merita tua te rogo et a te gratiam spero, qua adjutus sim fidelis, ex toto corde meo te amem neque aliud quidquam amem, nisi te solum.

O Maria sanctissima! nunc praecipue me adjuva

ad offerendum Deo tantum sacrificium accedentem.

Ad lucrandam indulgentiam 50 annorum hanc orationem recitabis:

Ego volo celebrare etc. pag. 40.

Post missam.

Quae meliora argumenta, Verbum incarnatum, praestare nobis potuisti, ex quibus infinitum tuum erga nos miseros et sceleratos terrae vermes amorem cognosceremus? Quid amplius invenire potuisti, quo nos ad tuum amorem obligares? O miserum hominem, qui tuo privatus amore vivit! O me miserum, qui antea te non solum non amavi, sed patientiam tuam sprevi propter nimias offensiones, quibus te affeci! Ah! quam saepe pro turpi aliqua voluptate gratiam tuam permutavi et in conspectu tuo dixi: „Non serviam.“ Poenitet me, o Deus animae meae, ex toto corde meo. Per mortis tuae merita veniam et in tuo amore perseverentiam spero. In hunc finem ex tot annis me quaeris. Ah! non longius tibi resistam. An expectare velim, donec in infernum me dejicias? Amo te, o infinita bonitas! Amo te, o mi Deus, qui infinito amore dignus es; amo te, et hac vita et aeterna haec verba semper repetam: Amo te, amo te, amo te.

„In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me, Domine, Deus ve-

ritatis." Noli me, mi Jesu, derelinquere! Quotidie de coelo descendis, ut te mecum unias, ut me tua carne cibes. Noli permittere, ut me unquam a te separatum videam. Nunc, mi Jesu, mi amor, mea spes, nihil aliud desidero, nisi ut tuus sim; ut totus, sine ulla reservatione, tuus sim. Da mihi, o mi Jesu, hoc perficiendi fortitudinem. O bone Jesu! exaudi me.

O Maria, mater mea! si tu pro me oraveris, certe hanc gratiam consequar. O Maria! exaudi me.

Ad lucrandam indulgentiam plenariam hanc orationem recitabis:

En ego, o bone etc. pag. 52.

FERIA V.

Ante missam.

„In omnibus divites facti estis in illo." 1. Cor. 1, 15.

Considera, Deum per missae sacrificium sacerdotum preces facilius exaudire. Omni quidem tempore, quo per Jesu Christi merita rogatur, gratias suas dilargitur, sed missae tempore, ut dicit s. Chrysostomus, ad preces sacerdotis longe abundantiores distribuit. Hae enim tunc, quantum ipsius

Jesu Christi preces, valent et precibus Jesu conjunguntur, qui sacerdos principalis semet ipsum offert, ut necessarias nobis gratias obtineat.

Hora missae juxta mentem concilii Tridentini illud ipsum tempus est, quo Dominus in throno gratiae sedet, ad quem ut accedamus cum fiducia ad divinam misericordiam et gratiam obtinendam, sanctus Apostolus nos admonet dicens: „Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno." Hebr. 4, 16. S. Chrysostomus dicit, ipsos etiam angelos missae tempus expetere, ut majore efficacia pro nobis intercedant, et subjungit, quod non obtineatur in missa, difficillime alio tempore posse obtineri.

Quantos gratiarum thesauros obtinere potest sacerdòs tam pro se quam pro aliis Dominum cum fiducia rogando, dum devote missam celebrans ad altare assistit! Venerabilis P. Antonius de Collellis: „Ego, inquit, quando celebro et teneo in manibus meis Jesum meum, ab ipso obtineo quaecunque volo."

S. Paulus, ut paucis absolvam, dicit, in Jesu Christo nos obtinere omnes divitias, omnem gratiam, si per ipsius merita Patrem rogamus: „In omnibus divites facti estis in ipso, — — — ita ut nihil vobis desit in ulla gratia." 1. Cor. 1, 15. Id quod singulari modo verificatur,

quando sacerdos ad altare stat Deum honorans eique in sacrificium acceptabile dilectissimum Filium offerens. Atque si Pater hunc ipsum Filium suum per missae sacrificium nobis redonat, quomodo unquam, postquam Filium nobis dedit, aliam gratiam negare poterit? „Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit" Rom. 8, 32.

Affectus.

Me miserum, qui hucusque fui! Quot et quantas gratias, o mi Deus, quum in tot missis a me celebratis te non rogarem, per negligentiam meam perdidi! Sed quoniam hac de re me illuminasti, nolo amplius esse tam incuriosus. Unio igitur, o Pater aeterne, preces meas cum Jesu Christi precibus et per amorem hujus dilecti Filii tui, quem hoc mane tibi sacrificabo, te inprimis deprecor, ut mihi remissionem omnium peccatorum meorum concedas, de quibus ex toto corde meo doleo. Deinde fac, ut cognoscam infinitam amabilitatem tuam et obligationem immensam, qua ad te amandum teneor propter bonitatem tuam et amorem, quem mihi exhibuisti. Da mihi, Domine, fortitudinem, ut ab omnibus terrenis affectibus avellar et cor meum tui solo amore occupem, qui tantopere me amasti. Rogo te etiam, ut qui te non cognoscunt et gratia tua destituti vivunt illumines. Da omnibus gratiae tuae donum et tui sancti amoris gratiam. O amor infinite Dei mei! fac, ut cognoscaris; fac, ut ameris.

Et tu, dulcissime mi salvator! fac, ut totus tuus sim, antequam moriar, neve permittas me separari a te. Ah! quamdiu vivo, in hoc periculo versor! sed absit a me, ut perdam te. Roga Patrem tuum, ut prius me mori sinat, quam denuo a me te deseri. Roga eum, ut semper me magis amoris vinculo tibi conjungat, qui tantum me ad te amandum obligasti. Tu es, mi Jesu, amor meus et spes mea. Fac, ut, quotiescunque te aspicio in altari, quod Philippus Nerius te in sanctissimo sacramento videns dicebat, ex toto corde meo repetam: „Ecce amor meus, ecce amor meus, ecce omnis amor meus!"

Maria sanctissima! tu quoque pro me ora. Sacerdos sum: impetra mihi per intercessionem tuam, ut sim, qualis esse debet sacerdos, totus Jesu Christi.

Ad lucrandam indulgentiam 50 annorum hanc orationem recitabis:

Ego volo celebrare etc. pag. 40.

Post missam.

„An nescitis, quod non estis vestri? Empti enim estis pretio magno." — Vera sunt, o mi Jesu, haec sancti tui apostoli verba. Attamen toties pro nihilo tui obliviscebar, gratiae tuae et amori tuo renuntiabam. Sed id quoque verum est, quod unus sum ex peccatoribus istis, quos pretioso sanguine tuo redemisti. „Te ergo, quaesumus, famulis tuis subveni, quos

sanguine tuo redemisti.“ Amo te, mi Jesu, plus quam omne aliud bonum. Et quia amo te, me poenitet ex toto corde meo, quod te offendi.

Me miserum, qui tot perdidi annos, quibus tibi servire et sanctus fieri potui, et quos in eo tantum consumpsi, ut te offenderem et animam meam perderem! Tua tamen bonitas spem mihi praebet, ut tempus perditum duplicando quem tibi debeo, amorem compensem. Tu temet ipsum, mi Jesu, totum mihi in cruce et in sanctissimo sacramento dedisti, quid miserrimus ego tibi retribuam? Ecce tibi do omnes terrae voluptates, corpus meum, animam meam, voluntatem et libertatem meam. Si noveris, in posterum me hanc meam voluntatem esse retractaturum, ut te iterum offendam, mori potius me nunc sinas, quo in gratia tua me esse confido. Largiris mihi, Pater aeterne, omnes, quas in nomine Jesu a te peto, gratias. Ecce in nomine Jesu Christi in tua gratia perseverantiam et tuum sanctum amorem a te peto.

O Maria! tu es mater sanctae perseverantiae et te implorantem exaudis. Hanc sanctam perseverantiam a te rogo et confidenter a te spero.

Ad lucrandam indulgentiam plenariam hanc orationem recitabis:

En ego, o bone etc. pag. 52.

FERIA VI.

Ante missam.

„Accipite, et comedite, hoc est corpus meum."

Considera, sacerdotem per missae sacrificium cum devotione celebratum singulari quodam modo sanctificari. Etenim in missa ad audientiam divinae majestatis admittitur, et familiaris cum Verbo incarnato conversatio ei concessa est. Tunc illud in manibus tenet et cum eo cum confidentia, sine ambagibus et timore loqui potest.

Conceditur ei etiam, ut suis ipsius manibus se sanctissima Jesu Christi carne cibet et sacrosancto ejus sanguine potet. Ad sacerdotes enim proprie pertinet, quod dixit redemptor: „Accipite, et comedite, hoc est corpus meum." Equidem fidelibus quoque communio datur; sed eis sacramentum, quandocunque volunt, in manus et corda sumere minime licet. Debent enim accipere sanctam communionem de manibus et ad arbitrium sacerdotum; horum unice est privilegium Jesum Christum accipiendi et, quando ipsis placuerit, communionem sibi praebendi.

Dominus de sacramentis et specialiter de sanctissima eucharistia loquens sacerdotibus prohibuit, ne eam peccatoribus darent: „Nolite dare sanctum canibus, neque ponatis mar-

garitas vestras ante porcos." Matth. 7, 6. „Margaritas vestras," per margaritas particulae consecratae intelliguntur. Sed animum tuum adverte ad vocem „vestras," quae significat, sanctissimum altaris sacramentum quasi rem propriam esse sacerdotis, qui illud de tabernaculo extrahit, portat, se illo cibat, aliis dat, quando et quibus voluerit. In manibus sacerdotis, ut paucis absolvam, claves sunt omnium divinorum thesaurorum, ut iis tamquam re sua utatur; nam, ut dicit s. Joannes Chrysostomus, in sanctissimo sacramento omnes divinae bonitatis thesauri sunt reconditi; et sacerdos missae sacrificium celebrans dominum Jesu Christi in sacramento se facere videtur.

Totus igitur Jesus Christus sacerdotum est. At quot sacerdotes toti Jesu Christi sunt! Ah, mi Deus, longe major eorum pars quomodo hunc ipsorum redemptorem, qui tantum eos amavit et exaltavit, amant. O mi Jesu! quot pauperes agricolae et miserae ancillae te magis amant, quam tot sacerdotes! Ah! quantam poenam sacerdos damnatus in inferno sustinebit, dum se videt a Jesu Christo per totam aeternitatem elongatum, Jesu Christo privatum, qui sibi erat hic in terra tam vicinus, totus suus!

Affectus.

Dulcissime Jesu! in cruce factus es victima, ut a me super altari offerreris et me divino sanguine tuo satiares. Quum me sacerdotem tuum

faceres, totus, ut uno verbo dicam, factus es meus, totum te mihi donasti, ita ut quando voluerim, te recipere, carne tua me cibare possem.

Charissime mi redemptor! adauge mihi fidem. Effice, ut, quam magnus sis, cognoscam, dum te sub sacratis speciebus in manibus meis teneo, dum mihi vicinus es in altari, dum ori meo corpus tuum ingero, dum sanguini tuo sanctissimo labia mea approprio.

Quare non ardeo amore recogitans, te quamquam Deum meum concedere, ut a me cum tanta familiaritate tracteris, ut sis mihi in cibum et potum!

Non suffecit tibi me amare, omnem sanguinem et vitam dare in cruce; voluisti insuper, ut hunc ipsum sanguinem sumam, quo totus tibi conjungar, totus tecum uniar. „Ipsa re nos suum efficit corpus". S. Chrysostomus.

O mi Deus! illumina me, adjuva me, ne amplius tanto amori ingratus vivam. A terra me avelle. Fac, ne amplius ponam obstaculum abundantiae gratiarum, quas cum amore te in sancta communione recipientibus elargiris. Amo te, mi Jesu, qui pro me mortuus es et factus cibus meus. Per merita Jesu Christi, quae tibi hodie offeram, omnes mihi, Pater aeterne, gratias impertire, quae mihi sunt necessariae, ut totus tuus sim.

Et tu, Maria sanctissima! pro me Jesum exora.

Ad lucrandam indulgentiam 50 annorum hanc orationem recitabis:

Ego volo celebrare etc. pag. 40.

Post missam.

„Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.“ Tanto igitur amore Jesus Christus, Dei Filius, nos amavit, ut in cruce doloribus confectus pro nobis mori vellet. Quis unquam Deum interficiendi potestatem habuisset, nisi ipse morti sese tradidisset? „Ego, dicit redemptor, ponam animam meam; nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso.“ Joann. 10, 17, 18. Quando tibi, anima mea, afferuntur dubitationes, num vere te redemptor tuus amet, intuere eum tui amore mortuum, in cruce pendentem. An melius aliquod amoris sui argumentum tibi praestare potuit, quam vitam suam pro te ponendo? „In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit.“

Vitam tuam, mi Jesu, pro me dedisti, ut me redimeres, et ego amicitiam tuam pro nihilo dedi, ut affectionibus animae meae satisfacerem, ut brevem aliquam voluptatem acquirerem. Ah! me poenitet plus quam omnium aliorum malorum, et dolore confectus mori velim. Ignosce mihi, o mi Jesu, per mortis tuae merita et in signum remissionis magnum de peccatis meis dolorem et ardentem tui amorem mihi impertire! Gratia tua factum est, ut te amandi desiderio arderem, ut tuus esse vellem. Sed eodem tempore simul me debilissimum esse agnosco et,

quoties te tradiderim, scio. Tu solus me confirmare et tibi fidelem reddere potes. Adjuva me, mi amor; effice, ut te amem. Nihil aliud a te precor.

„In hoc enim Christus mortuus est et resurrexit, ut et mortuorum et vivorum dominetur.“ Mortuus igitur es, mi salvator, ut cordium nostrorum dominareris. Vere, mi redemptor, hoc cor meum antea contra te rebellans nunc totum tuum esse vult. Ab hac hora tu in eo dominare, et tuam in omnibus voluntatem sequetur. Dic mihi quid a me postules. Gratia tua adjutus omnia perficiam.

O Maria! Jesum pro me ora. Tu enim efficere debes, ut Deo fidelis permaneam.

Ad lucrandam indulgentiam plenariam hanc orationem recitabis:

En ego, o bone etc. pag. 52.

SABBATO.

Ante missam.

„*Festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.*“ Luc. 19, 5.

Imaginare tibi, Jesum Christum tibi dicere hoc mane ea ipsa verba, quae quondam dixit Zachaeo.

„Cito veni ad altare, quia hodie oportet me intrare in domum animae tuae, ut ejus vitam conservem, vulnera sanem et mei amore eam accendam.“ Haec omnia sanctissimum sacramentum efficit. Est enim panis, qui dat animae vitam. „Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.“ Joann. 6, 52. Est remedium, quo a peccatis liberamur et praeservamur. Est „antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur.“ Trid. Sess. XIII, cap. 2. Est ignis, qui animam sancto amore inflammat, ita ut, nisi poneremus obstacula, ab altari recederemus „ignem spirantes, facti diabolo terribiles.“ Joann. Chrysost. Hom. 61 ad pop. Antioch.

Sed, mi Deus! quare tot sacerdotes quotidie se hoc pane coelesti reficientes tantum abest, ut amore divino ardeant, ut se semper plus mundo addicant, cum iisdem deliberatis peccatis venialibus ad altare accedant? Totum inde provenit, quia neque firmam voluntatem habentes neque desiderio ardentes sese in dies magis sanctificandi, sed potius lucro impulsi vel arida quadam consuetudine moti ad missam celebrandam se conferunt. Quare eosdem semper committunt defectus; mors appropinquat; decedunt Jesu Christo reddituri rationem de vita, quam duxerunt in sacerdotio, tota tepida, deordinata et dissoluta.

Si tu quoque, sacerdos, es ex istornm numero,

vide, ne panis ille coelestis, qui te ad sanctitatem perducere debet, culpam tuam ante divinum tribunal aggravet. Emendare et mortem in dies propius appropinquare recogita. Considera, quaenam sint illae adhaesiones, quinam defectus, qui tuum in Dei amore profectum impediunt, et tolle. Cogita te esse sacerdotem Cogita, quod Deus te elegit singulariter dilectum nec tibi majus quidquam facere potuit eo, quod tibi fecit.

Affectus.

Dignaris, infinitae majestatis Deus, hodie in animam meam venire, ut in ea inhabites. Sed, o Domine! aedes domicilii tui debent esse sanctae. „Domum tuam, Domine, decet sanctitudo in longitudinem dierum." Psalm. 92, 5. Quomodo ego te potero recipere, qui sum adeo imperfectus et plenus defectibus? „Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum."

Ah, mi salvator! si nunc coram judicio tuo comparere deberem, qualem rationem possem reddere de tot missis, quas celebrari, de tot annis, quibus fui sacerdos? Expecta, Domine, paululum, noli me jam nunc judicare. „Non intres in judicium cum servo tuo." Psalm. 142, 2. Miserere mei et me paululum expecta! „Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam et non rever-

tar.“ Job 10, 20. Da mihi aliquid temporis, ut defleam ingratitudinem, qua te, mi Jesu, hucusque offendi. Me fecisti sacerdotem: at me miserum, qui hactenus vitam sacerdote non dignam duxi! Per tot missas et communiones debebam, incalescere tui amoris igne, reddi totus igneus, purus et sanctus. Tu mihi minime defuisti; omnis culpa mea est, qui gratiae tuae tot objeci impedimenta. Vita mea non modo honorem tibi non attulit, sed te potius coram coelo et terra dehonestavit. Tu me de mundo segregasti, ego mundum plus amavi, quam mundani. Miserere mei, mi Deus; ne me deseras: ecce enim me emendabo. Summopere doleo, quod tibi toties displicui. Incipiam tandem te amare; et hac hora incipiam, qua ad altare accedo, ut te recipiam.

Amo te, o Deus animae meae; amo te, mi salvator, qui vitam tuam dedisti, ut me redimeres et sacerdotem tuum me faceres. „Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.“ Ignosce mihi, dulcissime Jesu, et sana me. A mundo me abstrahe et me tibi arctissimo amoris vinculo conjunge.

Largire mihi gratiam vitam ducendi sacerdote, qualem me esse voluisti, dignam. In tuis, charissime redemptor, meritis spero. Offero tibi, Pater aeterne, hodie Jesum Christum, ut me quoque cum ipso totum tuum reddas.

Maria sanctissima! pro me Jesum exora.

Ad lucrandam indulgentiam 50 annorum hanc orationem recitabis:

Ego volo celebrare etc. pag. 40.

Post missam.

„Animam meam pono pro ovibus meis". Joann. 10, 15. Divine pastor, qui ovium tuarum amore incensus doloribus confici et in crucis patibulo mori voluisti: ne me deseras, ut ob offensiones merui, quas tibi irrogavi. Peccavi quidem; sed ab hac hora amplius peccare nolo. Nunc, mi dulcissime Jesu, super omnia te amo; nihil est, quo magis crucier, quam cogitando, quod te superioribus vitae meae annis tantopere contempsi. Ago tibi gratias, quod nondum me in infernum dejecisti et tanta patientia me expectare voluisti. O dilecte animae meae! deserere me potuisti: et me es consectatus; tamdiu cordis mei januam pulsasti, maximo amore ad te me vocasti, donec tandem me ad te amandum coëgisti. Ago tibi gratias, o mi Jesu; sed et precor te, ut opus tuum perficias. Illumina me; da mihi fortitudinem, ut ab omnibus, quae non ad tuum amorem ducunt, me avellam. Antea quum a te discederem, optimo jure iram tuam promeritus sum; nunc autem quum te amem, o mi dilecte Deus, nunc te precor, ne amplius me odio habeas, ut potius me redames. Nunc a te amari

pluris aestimo, quam amari ab universo mundo. Omnes me despiciant: sufficit mihi, dummodo tu me cum amore aspicias; ecce enim omnem dolorem ferre volo, dummodo ne tuum amorem amittam. Tibi me intime conjunge et uni, ne iterum unquam a te separer. Noli, dulcissime Jesu, permittere, ut a te unquam disjungar.

Beatissima virgo Maria! Tu mihi impetrare debes hanc gratiam, ne iterum unquam ab amore Dei mei me separem.

Ad lucrandam indulgentiam plenariam hanc orationem recitabis!

En ego, o bone etc. pag. 52.

V.

MENSIS EUCHARISTICUS,

HOC EST

PRÆPARATIONES, ASPIRATIONES ET
GRATIARUM ACTIONES

PRO SUMPTIONE

SS. EUCHARISTIÆ

PER SINGULOS MENSIS DIES DISTRIBUTÆ

A

P. X. LERCARI S. J.

DIES I.

CHRISTUS, REX SÆCULORUM IMMORTALIS.

Praeparatio.

1. Quis venit? — Christus, rex saeculorum immortalis, qui habet in vestimento et femore suo scriptum: Rex regum, Dominus dominantium. 1. Tim. 1, 17. Apoc. 19, 16.

2. Ad quem venit? — Ad subditum suum, decem millium talentorum debitorem, qui nec obolum habet, unde incipiat debitum tam ingens exsolvere. Matth. 18, 24.

3. Ad quid venit? — Non ut miserum servum divendat et omnia ejus accipiat; sed ut ei pretium corporis et sanguinis sui, immensum majus debito, ad solvendum tribuat.

Aspiratio.

Exulta satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem: ecce rex tuus veniet tibi Iustus et Salvator. Zacch. 9, 9.

Gratiarum actio.

1. Respice oculis fidei Christum in medio cordis tui tamquam regem potentissimum et benignissimum; teque veluti reum coram eo procidentem et rogantem: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. Matth. 12, 26.

2. Dilige eum ex toto corde tuo, ita ut desiderio et firmo proposito tuo nihil illi contrarium velis; nihil, quod ad illum actu vel virtute non tendat, diligas.

3. Pete ab eo spiritum fortitudinis, ut divinum honorem contra insidiatores ejus, tamquam subditus fidelis usque ad sanguinem tuearis.

Aspiratio.

Tu es ipse rex meus et Deus meus, qui mandas salutes Jacob. In te inimicos nostros ventilabimus cornu, et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis. Ps. 43, 5, 6.

DIES II.

CHRISTUS, DOMINUS.

Praeparatio.

1. Quis venit? — Christus Dominus, qui servis suis jugum suave et onus leve suorum mandatorum

et consiliorum imponit ac pro momentaneis obsequiis aeternam gloriam pollicetur. Matth. 12, 20.

2. Ad quem venit? — Ad servum suum contumacem, qui a saeculo confregit jugum ipsius et dixit: Non serviam. Jerem. 2, 20.

3. Ad quid venit? — Ut de funiculis Adam trahat eum in vinculis charitatis ereptumque a passionum jugo in servitutem suam omni imperio feliciorem reducat. Osee 11, 4.

Aspiratio.

Et unde hoc mihi, ut Dominus meus et Filius Dei mei veniat ad me? — Luc. 1, 43.

Gratiarum actio.

1. Respice oculis fidei Christum in medio cordis tui tamquam Dominum tuum, qui emit te pretio magno; teque veluti servum ejus fugitivum, qui ad ipsum per novum fervorem vult redire. 1. Cor. 6, 20.

2. Dilige eum ex tota anima tua, ita ut sis unus ex illis, qui ajebant: Nemo nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur; sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur. Rom. 14, 7, 8.

3. Pete ab eo spiritum timoris Domini, ut omne peccatum vel levissimum fugias et ipsum solum casto affectu timeas.

Aspiratio.

Injice, Domine, pedem meum in compedes tuos, et in torques tuos collum meum. Eccl. 6, 25.

DIES III.

CHRISTUS, MAGISTER.

Praeparatio.

1. Quis venit? — Christus, magister, qui docet nos utilia; qui prius fecit quae docuit; et ad faciendum quod docet gratiam impertit. Js. 48, 17.

2. Ad quem venit? — Ad discipulum infimae classis, qui nunquam aut sero ad audiendam doctrinam virtutum venit et cito per animi levitatem ab auditis discedit.

3. Ad quid venit? — Ut sint oculi tui videntes praeceptorem tuum, et aures tuae audiant verbum post tergum (hoc est velamen accidentium), monentis: Haec est via (conversatio Christi), ambulate in ea. Isaj. 30, 20.

Aspiratio.

Venite, et ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas. Isaj. 2, 3.

Gratiarum actio.

1. Respice oculis fidei Christum in medio cordis tui tamquam magistrum tuum, qui te viam perfectionis docet et in agendis ac omittendis erudit; teque velut alteram Magdalenam sedentem secus pedes ejus, audientem verbum ipsius et illud unum, quod est necessarium, addiscentem. Luc. 10, 39—42.

2. Dilige eum ex tota mente tua, ita ut sanctis cogitationibus jugiter illi adhaereas et ad capienda coelestia, tranquillitatem ac puritatem inquiras.

3. Pete ab eo spiritum scientiae, ut falsa scias a veris discernere et fidei dictamina constanter teneas.

Aspiratio.

Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me. Psalm 24, 4.

DIES IV.

CHRISTUS, AMICUS FIDELIS.

Praeparatio.

1. Quis venit? — Christus, amicus fidelis, cui nulla est comparatio, qui a nobis desertus et irri-

tatus nunquam nos deserit, sed ex inimicis suo sanguine amicissimos fecit. Eccl. 6, 15.

2. Ad quem venit? — Ad infamem proditorem, qui toties ejus amicitiam contempsit, ejus gratiae peccatum praetulit, ejus familiaritatem cum vanissimis hominum colloquiis commutavit.

3. Ad quid venit? — Ut sit amicus fidelis, protector fortis; quo invento thesaurum inveniat et ut eum sibi intimius per amorem copulet. Eccl. 6, 14.

Aspiratio.

Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, et facies tua decora. Cant. 2, 14.

Gratiarum actio.

1. Respice oculis fidei Christum in medio cordis tui tamquam amicum fidelissimum, qui te servulum suum ad amicitiam suam extulit; teque velut amicum mensae aut potius vilem mercenarium, qui cum consolationes recipis, eum diligis; cum ad emendationem flagellaris, indilectione torpescis.

3. Dilige eum ex omnibus viribus tuis, ita ut vires et potentias animae tuae, sensus et organa corporis tui in unione virium et sensuum ejus Deo offeras et illis semper in obsequium ipsius uti constituas.

3. Pete ab eo spiritum consilii, ut apta remedia

ad salutem animae tuae et aliorum, de quibus curam geris, eligere scias.

Aspiratio.

Dilectus meus mihi, et ego illi. Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus. Cant. 2, 16; 7, 10.

DIES V.

CHRISTUS, FRATER.

Praeparatio.

1. Quis venit? — Christus, frater, qui cum sit verus Deus et Dominus hominum, non confunditur fratres eos vocare dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis. Hebr. 2, 11. — Psalm 21, 23.

2. Ad quem venit? — Ad fratrem, ipsius fratricidam, qui ceu alter Cain Abel justum in agro hujus mundi peccatis appetiit et impie confecit.

3. Ad quid venit? — Ut fratricidam hunc in vita spirituali, quam ante dederat, conservet et non vagum et profugum super terram esse dimittat. Gen. 4, 12.

Aspiratio.

Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meae, ut inveniam te foris et deosculer te, et jam me nemo despiciat? Cant. 9, 1.

Gratiarum actio.

1. Respice oculis fidei Christum in medio cordis tui ut fratrem tuum natu majorem et primogenitum in multis fratribus; teque ut fraterculum ejus merito minimum seu potius tali nomine prorsus indignum, cum sis illi vita et moribus valde dissimilis. Rom. 8, 29.

2. Dilige eum ex tota virtute tua, ita ut omni conatu tuo consilia et exempla fratris tui primogeniti fideliter impleas.

3. Pete ab eo spiritum intellectus, ut abditos sacrae scripturae sensus intelligas et explanes.

Aspiratio.

Hoc uno tantum indigeo, ut inveniam gratiam in conspectu tuo, Domine mi et frater mi. Gen. 23, 15.

DIES VI.

CHRISTUS, PATER FUTURI SÆCULI.

Praeparatio.

1. Quis venit? — Christus, pater futuri saeculi, qui voluntarie genuit nos verbo veritatis: pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui tenerrime nos amat et filiolos vocat. Isaj. 9, 6. — Jac. 1, 18. —

2. Ad quem venit? — Ad prodigum filium, qui peregre profectus est in regionem longinquam oblivionis Dei et ibi dissipavit bona ipsius vivendo si non luxuriose, at inaniter et inutiliter. Luc. 15, 13.

3. Ad quid venit? — Ut hunc prodigum filium ad se revertentem amplectatur et osculetur, stola gratiae ac donis coelestibus ornet, convivio corporis et sanguinis sui reficiat atque in domo gloriae suae haereditatis aeternae possessorem constituat. Ibid. v. 20 ff.

Aspiratio.

Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus! Ego autem hic fame pereo. Surgam et ibo ad Patrem meum. Luc. 15, 17.

Gratiarum actio.

1. Respice oculis fidei Christum in medio cordis tui tamquam patrem piissimum, qui te in cruce summis doloribus genuit; teque veluti errabundum filium, ex longa peregrinatione ac miserrimo statu ad ipsum redeuntem atque ab ipso benignitate incredibili exceptum.

2. Dilige eum ex tota fortitudine tua, ita ut propter illum vitam et salutem corporis, divitias, voluptates et honores despicias.

3. Pete ab eo spiritum pietatis, ut obsequio tanto ac tali Patri debita solerter inquiras et eminenter praestes.

Aspiratio.

Pater! peccavi in coelum et coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenariis tuis. Luc. 15, 28, 29.

DIES VII.

CHRISTUS, SPONSUS.

Praeparatio.

1. Quis venit? — Christus, sponsus, qui dixit: Sponsabo te mihi in aeternum, et sponsabo te mihi

in justitia et judicio et in misericordia et in miserationibus, et sponsabo te mihi in fide. Os. 2, 19, 20.

2. Ad quem venit? — Ad infidam sponsam suam, quae fornicata est cum amatoribus multis super omnem montem excelsum et sub omni ligno frondoso, per superbiam scilicet et cupiditatem vilissimis adhaerendi creaturis. Jerem. 3, 1.

3. Ad quid venit? — Non ut det illi libellum repudii, sed ut sibi iterum despondeat eam et ponat signum in faciem ejus, ne ullum praeter ipsum amatorem admittat.

Aspiratio.

Prudentes virgines! surgite et ornate vestras lampades; ecce sponsus venit, exite obviam ei. Matth. 25, 6, 7.

Gratiarum actio.

1. Respice oculis fidei Christum in medio cordis tui tamquam sponsum amabilissimum, qui animam tuam, projectam super faciem terrae, nudam et confusione plenam, spontanee dilexit; animamque tuam veluti sponsam ejus ipsi tot vinculis copulatam et tot donis ad redamandum illectum. Ezech. 16, 5—7. — Os. 14, 5.

2. Dilige eum ex tota libertate tua, ita ut tui corporis et animi potestatem non habeas, sed sponsus tuus, qui potestatem tibi fecit corporis et sanguinis sui. 1. Cor. 7, 4.

3. Pete ab eo spiritum sapientiae, ut quidquid in Deo est intimius, nempe essentiam, attributa, processiones et decreta scruteris ad majorem ipsius amorem in te excitandum.

Aspiratio.

Gaudens gaudebo in Domino, et exultavit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, et indumento justitiae circumdedit me quasi sponsam ornatam monilibus suis. Isaj. 61, 10.

DIES VIII.

CHRISTUS, SOL JUSTITIÆ ET SPLENDOR GLORIÆ.

Praeparatio.

1. Quis venit? — Christus sol justitiae et splendor gloriae, lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Malach. 4, 2. — Hebr. 1, 3. — Joann. 1, 9.

2. Ad quem venit? — Ad caecum hominem, ambulantem in regione umbrae mortis dolentemque, quod lumen coeli non videat. Isaj. 9, 2. — Tob. 5, 12.

3. Ad quid venit? — Ut signet super eum lumen vultus sui suaque doctrina et exemplo luceat ei quasi lucerna in caliginoso loco, donec dies aeternitatis elucescat, et lucifer gloriae oriatur in corde ejus. Psalm. 4, 7. — Petr. 1, 19. —

Aspiratio.

Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum: super te orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur. Isaj. 60, 1, 2.

Gratiarum actio.

1. Respice oculis fidei Christum in medio cordis tui tamquam candorem lucis aeternae, illuminantem abscondita tenebrarum; teque veluti caecum illum, quem jussit Jesus adduci ad se orantem et dicentem: Domine, ut videam. Sap. 7, 26. — 1. Cor. 4, 5. — Luc. 18, 41.

2. Dilige eum prae oculis tuis et prae omni, quod est aspectu delectabile, ita ut statuas avertere oculos tuos, ne videant vanitatem. Psalm. 118, 37.

3. Pete ab eo fidei donum electum, ut quae agenda sunt videas et ad agenda quae videris convalescas. Sap. 3, 14.

Aspiratio.

Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine, Deus meus, illumina tenebras meas. Psalm. 17, 29.

DIES IX.

CHRISTUS, VIATICUM.

Praeparatio.

1. Quis venit? — Christus, viaticum peregrinantis ad beatam Sion, pharmacum immortalitatis et pignus aeternae gloriae, quod non minus est, quam ipsa gloria promissa.

2. Ad quem venit? — Ad advenam et peregrinum, qui non habet hic manentem civitatem, sed futuram inquirit. Hebr. 13, 14.

3. Ad quid venit? — Ut ceu alter Elias ambulet in fortitudine cibi hujus per observantiam mandatorum, diebus prosperitatum et noctibus adversitatum usque ad montem Dei. 3. Reg. 19, 8.

Aspiratio.

Auribus percipe lacrymas meas, ne sileas: quoniam advena ego sum apud te et peregrinus, sicut omnes patres mei. Psalm. 39, 13.

Gratiarum actio.

1. Respice oculis fidei Christum in medio cordis tui ut provisorem tui ad promissam terram, pluentem tibi manna ad manducandum; teque ut peregrinum in deserto hoc coeleste manna colligentem per

singulos dies, donec aeternum comedas de beatis frugibus terrae illius. Psalm. 77, 14. —

2. Dilige eum prae omnibus odoramentis aromatum et florum fragrantia, sic ut post ipsum solum curras in odorem unguentorum, id est exemplorum suorum, donec introducat te rex in cellaria sua. Cant. 1, 3.

3. Pete ab eo donum spei firmissimae, ut fidenter dicas: In pace in idipsum dormiam et requiescam: quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me. Psalm. 4, 10.

Aspiratio.

Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus. Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Jerusalem. Psalm. 121, 1, 2.

DIES X.

CHRISTUS, CONVIVATOR ET CONVIVIUM.

Praeparatio.

1. Quis venit? — Christus, convivator et convivium pinguium, convivium vindemiae, pinguium medullatorum, vindemiae defaecatae. Isaj. 25, 6.

2. Ad quem venit? — Ad hominem non vestitum veste nuptiali aut saltem ea indutum multis maculis foedata, tam excelso convivio prorsus indignum. Matth. 22, 12.

3. Ad quid venit? — Ut hoc convivio saginatus insuaves ac noxios mundi hujus cibos fastidiet; et coenam nuptiarum agni, cujus eucharistia typus est, dumtaxat anhelet. Apoc. 19, 9.

Aspiratio.

Quis det de carnibus ejus, ut saturemur? Caro enim ejus vere est cibus, et sanguis ejus vere est potus. Iob 31. — Joann. 6, 56.

Gratiarum actio.

1. Respice oculis fidei Christum in medio cordis tui speciebus eucharisticis veluti praecinctum et ministrantem tibi cibum, qui permanet in vitam aeternam; teque hunc suavissimum cibum ad satietatem edentem et adhuc ex amore esurientem. Luc. 12, 39. — Joann. 6, 27. — Eccl. 24, 29.

2. Dilige eum prae omni dulcedine et ciborum suavitate, ita ut a gulosis excessibus te temperans incipias gustare et videre, quam suavis sit Dominus. Psalm. 33, 9.

3. Pete ab eo donum charitatis ferventissimae, ut solus Deus tibi sapiat, et omne, quod Deus non est, desipiat tibi.

Aspiratio.

Quis ego sum servus tuus, quoniam respexisti super carnem mortuum similem mei; et posuisti me inter convivas mensae tuae? 2. Reg. 9. — 2. Reg. 19, 28.

DIES XI.

CHRISTUS. HOSPES JUCUNDISSIMUS.

Praeparatio.

1. Quis venit? — Christus, hospes jucundissimus, qui quotidie hospitatur et pascit et potat ingratos, et ad haec amara audit; qui etiam nunc stat ad ostium cordis mei et pulsat. Eccl. 29, 32. — Apoc. 3, 10. —

2. Ad quem venit? — Ad ingratam animam tuam, de qua quaestus est: Hospes eram, et non collegisti me, nempe ut terrenis affectibus locum dares. Matth. 25, 43.

3. Ad quid venit? — Ut, audiente te vocem ejus, et aperiente te cordis tui januam, intret ille ad te mutuam daturus et accepturus coenam. Apoc. 3, 20.

Aspiratio.

Festinans descende (per humilitatem), quia hodie in domo tua oportet me manere. Ingredere, benedicte Domine! Cur foris stas? Praeparavi domum. Luc. 19, 5. — Gen. 24, 31. —

Gratiarum actio.

1. Respice oculis fidei Christum in medio cordis tui tamquam hospitem humanissimum, colloquia super mel et favum dulcia tecum miscentem; teque quasi villicum tam magni hospitis praesentia nobilitatum.

2. Dilige eum super omnem melodiam et super omne, quod auribus blandiatur, ita ut obdurescas ad vocem eorum, qui narrant tibi fabulationes, sed non ut lex tua. Psalm. 118, 85.

3. Pete ab eo virtutem prudentiae, ut jam non sis parvulus fluctuans et circumferaris omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia, ad circumventionem erroris. Ephes. 4, 14.

Aspiratio.

Non habet amaritudinem conversatio illius, nec taedium convictus illius, sed laetitiam et gaudium. Sap. 8, 16.

DIES XII.

CHRISTUS, DILECTUS CANDIDUS ET RUBICUNDUS.

Praeparatio.

1. Quis venit? — Christus, dilectus candidus et rubicundus: candidus sub speciebus panis, rubicundus sub speciebus vini; electus ex millibus et totus desiderabilis. Cant. 5, 10, 16.

2. Ad quem venit? — Ad dilectam suam, quam ex amoris nimietate vocat columbam suam, formosam suam, pulchram, immaculatam; non quia talis est, sed quia talem ipse desiderat. (Multis loc. Cant.)

3. Ad quid venit? — Ut osculetur eam osculo oris sui eucharistici et introducat eam in cellaria vulnerum suorum et ibi loquatur ad cor ejus amores suos. Cant. 1, 2—3. — Os. 2, 14.

Aspiratio.

Adjuro vos, filiae Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo. Cant. 5, 8.

Gratiarum actio.

1. Respice oculis fidei Christum in medio cordis tui ut dilectum tuum, tuos amplexus et oscula

postulantem; teque ut inamabilem dilectam ejus, quae toties vagata est post greges sodalium tuorum. Cant. 1, 6.

2. Dilige eum super omnes brutas et insanas carnis voluptates, ita ut carnem tuam crucifigas cum vitiis et concupiscentiis suis. Gal. 5, 14.

3. Pete ab eo virtutem temperantiae, ut omnes motus concupiscentiae tegas et comprimas atque in omnibus modum tenere scias.

Aspiratio.

Inveni quem diligit anima mea: tenui eum nec dimittam. Cant. 3, 4.

DIES XIII.

CHRISTUS, HÆRES LOCUPLETISSIMI PATRIS.

Praeparatio.

1. Quis venit? — Christus, haeres locupletissimi Patris, qui propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus. 2. Cor. 8, 9.

2. Ad quem venit? — Ad mendicum Lazarum jacentem ad januam ipsius, ulceribus plenum et

cupientem saturari de micis, quae cadunt de mensa divitis hujus. Luc. 16, 20, 21.

3. Ad quid venit? — Ut conjiciat in sinum ejus mensuram bonam et confertam et coagitatam et superfluentem gratiarum suarum. Luc. 6, 38.

Aspiratio.

Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, sicut oculi in manibus dominae suae: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Psalm. 122, 2.

Gratiarum actio.

1. Respice oculis fidei Christum in medio cordis tui divitias sui amoris in te veluti effundentem; teque ut pauperculum, tuas illi miserias et indigentias aperientem.

2. Dilige eum prae omnibus mundi pompis et divitiis, ita ut quae tibi aliquando fuerunt lucra, haec detrimenta facias et arbitreris ut stercora, ut ipsum lucri facias. Phil. 3, 7, 8.

3. Pete ab eo virtutem justitiae, ut citra omnem avaritiam reddas quae sunt Caesaris Caesari, quae sunt Dei Deo. Matth. 22, 21.

Aspiratio.

Venite, audite, et narrabo, omnes, qui timetis Deum, quanta fecit animae meae. Ad ipsum ore meo clamavi et exaltavi sub lingua mea. Psalm. 65, 16, 17.

DIES XIV.

CHRISTUS, DEUS ABSCONDITUS, DEUS ISRAEL SALVATOR.

Praeparatio.

1. Quis venit? — Deus absconditus, Deus Israel salvator, qui deposita majestate mutavit habitum, ut ad te et apud te familiarius diverteret. Isaj. 45, 15. — 3 Reg. 22, 30.

2. Ad quem venit? — Ad hominem, quem etiam absconditum cupit dicens ei: Intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum. Isaj. 26, 28.

3. Ad quid venit? — Ut abscondat eum in abscondito faciei suae a conturbatione hominum; ducat eam in solitudinem et loquatur ad cor ejus et manifestet ei seipsum. Psalm. 20, 21. — Os. 2, 1. — Joann. 14, 21.

Aspiratio.

Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te. Exod. 33, 13. —

Gratiarum actio.

1. Respice oculis fidei Christum in medio cordis tui porrigentem tibi manna absconditum, quod nemo

scit, nisi qui accepit; teque in ejus gremio gloriose delitescentem. Apoc. 2, 17.

2. Dilige eum prae omnibus honoribus et dignitatibus, ita ut gloria tua in hac vita non sit alia, quam amore ipsius latere et abjectum esse.

3. Pete ab eo virtutem fortitudinis, ut non contemplans ea, quae videntur, sed quae non videntur, terrena omnia tamquam vilia contemnas, difficilia et ardua superes, in magna et excelsa tendas. 2. Cor. 4, 18.

Aspiratio.

Quis dabit mihi pennas sicut columbae, et volabo et requiescam? Ecce elongavi fugiens et mansi in solitudine. Psalm. 54, 7, 8.

DIES XV.

CHRISTUS, VINUM GERMINANS VIRGINES.

Praeparatio.

1. Quis venit? — Christus, vinum germinans virgines, quod praeparavit Dominus his, qui amaro sunt corde, ut bibant et obliviscantur egestatis suae et doloris sui non recordentur amplius. Zach. 9, 17. — Prov. 31, 7.

2. Ad quem venit? — Ad eum, quem constituit super excelsam terram, id est, super ecclesiam suam, ut sugeret mel de petra oleumque de saxo durissimo et sanguinem uvae biberet meracissimum. Deut. 32, 13, 14.

3. Ad quid venit? — Ut det ei poculum ex vino condito et mustum malorum granatorum suorum, quo illum inebriet charitate sua. Cant. 8, 2.

Aspiratio.

Venite, comedite panem meum et bibite vinum, quod miscui vobis: relinquite infantiam et vivite et ambulate per vias prudentiae. Prov. 9, 5.

Gratiarum actio.

1. Respice oculis fidei Christum in medio cordis tui lavantem in vino stolam suam, hoc est, sanguine suo animam tuam; teque introductum in cellam vinariam et accipientem de manu ejus calicem vini non furoris, sed amoris sui. Gen. 49, 11. — Cant. 2, 4. — Jerem. 25, 15.

2. Dilige eum amore casto, sicut ipsum amarunt sanctae virgines, ita ut non habeas maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi, sed sis sanctus et immaculatus. Ephes. 5, 27.

3. Pete ab eo cordis munditiem, ut purificato mentis oculo ad ejus pulchritudinem contemplandam eveharis.

Aspiratio.

Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me: impinguasti in oleo caput meum, et calix meus inebrians quam praeclarus est! Psalm. 22, 5. —

DIES XVI.

CHRISTUS, PANIS DEI.

Praeparatio.

1. Quis venit? — Christus, panis Dei, qui de coelo descendit et dat vitam mundo; panis pinguis, praebens delicias regibus. Joann. 6, 33. — Gen. 49, 20.

2. Ad quem venit? — Ad Chananaeam animam tuam, cui dici merito possit: Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus. Matth. 15, 26.

3. Ad quid venit? — Ut sit panis cor tuum confirmans teque supersubstantialiter nutriat, ne in via Dei ultra deficias. Psalm. 113, 16.

Aspiratio.

Domine! adjuva me; nam et catelli edunt de micis, quae cadunt de mensa dominorum suorum. Matth. 15, 25, 27.

Gratiarum actio.

1. Respice oculis fidei Christum in medio cordis tui frangentem esurienti tibi panem suum; teque ut famelicum catellum, pretiosas et uberes micas colligentem. Isaj. 5S, 7.

2. Dilige eum amore constanti, sicut ipsum amarunt sancti confessores; ita ut tamquam homo sanctus in sapientia tua maneas sicut sol, non vero tamquam stultus, sicut luna muteris. Eccl. 27, 12.

3. Pete ab eo veram spiritus paupertatem, ut abrenuntiatis omnibus expeditior curras viam perfectionis, quae recta ducit ad regnum coelorum.

Aspiratio.

Angelorum esca nutrivisti populum tuum, et paratum panem de coelo praestitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem. Sap. 16, 20.

DIES XVII.

CHRISTUS, PONTIFEX SANCTUS.

Praeparatio.

1. Quis venit? — Christus, pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior coelis factus, qui in diebus carnis suae

preces supplicationesque cum clamore valido et lacrymis offerens exauditus est pro sua reverentia. Hebr. 7, 26; 5, 7. —

2. Ad quem venit? — Ad unum ex illis, quibus dictum est: Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. 1. Petr. 2, 9.

3. Ad quid venit? — Ut consecret in templum divinitatis pectus tuum et in altare cor tuum, et victimam habeas acceptissimam, quam aeterno Patri offeras in odorem suavitatis.

Aspiratio.

Ecce venit ad templum sanctum suum dominator, quem vos quaeritis; et angelus testamenti, quem vos vultis. Malach. 3, 1.

Gratiarum actio.

1. Respice oculis fidei Christum in medio cordis tui tamquam pontificem magnum, qui penetravit coelos, nunc vero a te sibi adjungendum iterum ex amore descendit; teque veluti ministrum ejus, obsequiis ipsius deputatum. Hebr. 4, 14.

2. Dilige eum amore sollicito, sicut ipsum amarunt sancti pontifices, ita ut in ministerio tanti pontificis omnem vel minimam incuriam devites.

3. Pete ab eo viscera misericordiae, ut aeternam misericordiam ab ipso consequaris, qui tentatus per omnia scit compati infirmitatibus nostris. Hebr. 4, 5.

Aspiratio.

Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui: secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terrae. Psalm. 47, 10.

DIES XVIII.

CHRISTUS, VIR DOLORUM.

Praeparatio.

1. Quis venit? — Christus, vir dolorum et sciens infirmitatem, qui vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Isaj. 53, 3, 5.

2. Ad quem venit? — Ad delicatissimam animam tuam, inimicam crucis Christi, quae sub capite spinoso rosis appetit coronari. Phil. 3, 18.

3. Ad quid venit? — Ut absit tibi gloriari, nisi in cruce ejus, per quam tibi mundus crucifixus est, et ipse mundo; stigmata ejus in corpore tuo portes. Gal. 6, 14, 17.

Aspiratio.

Donec aspiret dies, et inclinentur umbrae, vadam in montem myrrhae et ad collem thuris. Cant. 4, 6.

Gratiarum actio.

1. Respice oculis fidei Christum in medio cordis tui tamquam sponsum sanguinum; teque ingratam sponsam ejus, quae licet quotidie annunties in missae sacrificio mortem Domini, nondum didicisti mori mundo. Exod. 4, 25. — 1. Cor. 11, 26.

2. Dilige eum amore forti, sicut ipsum amarunt sancti martyres, ita ut audeas dicere: quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Rom. 8, 35.

3. Pete ab eo luctum salutarem, ut abundantibus passionibus Christi in te per Christum abundet consolatio tua. 2. Cor. 1, 5.

Aspiratio.

Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea (hoc est in mente et voluntate mea) commorabitur. Cant. 1, 12.

DIES XIX.

CHRISTUS, QUI SE MATREM PROFITETUR.

Praeparatio.

1. Quis venit? — Christus, qui se matrem profitetur dicens: Numquid oblivisci potest mulier in-

fantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego non obliviscar tui. Isaj. 49, 15.

2. Ad quem venit? — Ad te parvulum in spiritu, quem mammilla regum lactat et iterum atque iterum parturit, donec ipse formetur in te. Isaj. 16, 16.

3. Ad quid venit? — Ut sicut modo genitus infans rationabile sine dolo lac concupiscas; et veritatem faciens in charitate crescas in illo per omnia, qui est caput Christus. 1. Petr. 2, 2. — Ephes. 4, 15.

Aspiratio.

Venite, emite absque argento et absque ulla commentatione vinum et lac. Isaj. 55, 12.

Gratiarum actio.

1. Respice oculis fidei Christum in medio cordis tui tamquam matrem amantissimam, ad ubera portantem te et super genua blandientem tibi; teque veluti infantem recens natum, lac divinarum consolationum sugentem ab eo. Isaj. 66, 12.

2. Dilige eum amore tenero, sicut ipsum amarunt sancti apostoli, ita ut ab ipsius gremio et aspectu ne ad momentum quidem patiaris avelli.

3. Pete ab eo mansuetudinem infantilem, ut discens ab ipso, quia mitis et humilis corde, effi-

ciaris sicut parvulus et sic intres in regnum coelorum. Matth. 11, 19. — 18, 3.

Aspiratio.

Pater meus et mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me. Psalm. 26, 10.

DIES XX.

CHRISTUS. EXPECTATIO GENTIUM.

Praeparatio.

1. Quis venit? — Christus expectatio gentium, desiderium collium aeternorum, qui et desiderio desideravit hoc pascha manducare tecum, ut, quantum te diligat, ostenderet. Gen. 49, 10, 26. — Luc. 22, 15.

2. Ad quem venit? — Ad pigram animam tuam, quam sterilia occidunt desideria, quae vult et non vult, et facta est quasi columba seducta, non habens cor. Prov. 22, 25. — 13, 4. — Os. 7, 10.

3. Ad quid venit? — Ut mittat de excelso ignem desideriorum efficacium in ossibus tuis et erudiat. Initium enim sapientiae verissima est disciplinae concupiscentia. Sap. 6, 18.

Aspiratio.

Anima mea desideravit te in nocte: sed et spiritu meo in praecordiis meis de mane vigilabo ad te. Isaj. 26, 9.

Gratiarum actio.

1. Respice oculis fidei Christum in medio cordis tui ex desiderio tui velut assidentem foribus animi tui; teque velut adhuc somno torpentem nec audentem surgere et aperire dilecto tuo. Sap. 6, 15.

2. Dilige eum amore anhelanti, sicut ipsum amarunt sancti patriarchae, ita ut per vicos et plateas quaeras, quem diligit anima tua, rogesque vigiles civitatis: Num quem diligit anima mea vidistis? Cant. 3. 2, 3.

3. Pete ab eo sitim famemque justitiae, ut ad perfectiora semper aspirans aeternam satietatem consequi merearis.

Aspiratio.

Tibi dixit cor meum: Exquisivit te facies mea: faciem tuam, Domine, requiram. Nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animae. Psalm. 26, 8. — Isaj. 26, 8.

DIES XXI.

CHRISTUS, IGNIS CONSUMENS.

Praeparatio.

1. Quis venit? — Christus, ignis consumens, qui facit angelos suos spiritus et ministros suos flammam ignis, qui ignem venit mittere in terram, et quid vult, nisi ut accendatur? Deut. 4, 24. — Hebr. 1, 7. — Luc. 12, 49.

2. Ad quem venit? — Ad animam tuam neque frigidam neque calidam, sed eum detestabili tepore ad nauseam et vomitum provocantem. Apoc. 3, 15.

3. Ad quid venit? — Ut eam totam occupet et accendat, ad instinctus suos recipiendos mollificet, splendore bonorum operum ornet et vim alios urendi eidem communicet.

Aspiratio.

Utinam disrumperes coelos et descenderes! A facie tua montes defluerent: sicut exustio ignis tabescerent: aquae arderent igni. Isaj. 64, 1.

Gratiarum actio.

1. Respice oculis fidei Christum in medio cordis tui tamquam fornacem amoris ignem undique spi-

rantem; teque veluti ferrum rubinosum et vile, immensa igne demersum.

2. Dilige eum amore ferventi, sicut ipsum amant Cherubim et Seraphim, ita ut ex amore ipsius totus ignescas et liquefias omniaque incendas et inflammes.

3. Pete ab eo pacem perfectam, ut in ipso tuo velut in sphaera requiescens inter veros pacificos, qui filii Dei vocabuntur, habearis.

Aspiratio.

Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? Prov. 6, 27.

DIES XXII.

CHRISTUS, MEDICUS PERITISSIMUS.

Praeparatio.

1. Quis venit? — Christus, medicus peritissimus, qui vere languores nostros tulit et dolores nostros portavit et factus est quasi leprosus et percussus a Deo et humiliatus, ut livore ejus sanaremur. Isaj. 53, 4.

2. Ad quem venit? — Ad hominem illum, qui per peccatum descendens ab Jerusalem in Jericho

incidit in latrones, et despoliatus est ac, plagis impositis, semivivus relictus. Luc. 10, 30.

3. Ad quid venit? — Ut tamquam bonus Samaritanus appropinquans alliget vulnera ejus infundens oleum misericordiae et vinum sanguinis sui curamque illius agat, donec convalescat. Luc. 10, 30, 34.

Aspiratio.

Domine! non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbum et sanabitur (anima mea). Matth. 8, 8.

Gratiarum actio.

1. Respice oculis fidei Christum in medio cordis tui tamquam medicum piissimum ex manibus et pedibus suis copiosos fontes sacri cruoris in balneum et remedium animae tuae effundentem; teque veluti languidum illum in probatica piscina multos annos habentem in infirmitate sua. Joann. 5, 5.

2. Desidera ex amore languere viriliter, a rebus creatis te subtrahendo, et tamquam sapienter aegrotus quae ante placebat aversando, jam ut languidus nolis ad illicita progredi nec per superbiam erectum stare, sed per humilitatem jacere. Philipp. 2, 8.

3. Pete a Domino virtutem obedientiae, ut ipsum imiteris, qui pro tua salute humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Philipp. 2, 8.

Aspiratio.

Domine! ecce quem amas, infirmatur. Dic animae meae: Salus tua ego sum. Joann. 11, 3. Psalm. 34. 3.

DIES XXIII.

CHRISTUS, MARGARITA PRETIOSA.

Praeparatio.

1. Quis venit? — Christus, margarita pretiosissima, pro qua si dederit homo omnem substantiam domus suae, quasi nihil despiciet eam; quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua et tamquam lutum aestimabitur argentum. Cant. 8, 7. — Sap. 7, 9. —

2. Ad quem venit? — Ad stultum mercatorem, qui propter pugillum hordei et fragmen panis gemmam hanc inaestimabilem dilapidavit. Ezech. 13, 19.

3. Ad quid venit? — Ut, inventa hac una pretiosa margarita, jam sapienter vendat omnia, quae habet et emat eam. Matth. 13, 46.

Aspiratio.

Pone me (ait Dominus), ut signaculum super brachium tuum ad operandum. Cant. 6, 8.

Gratiarum actio.

1. Respice oculis fidei Christum in medio cordis tui tamquam sanctum datum canibus et margaritam missam ante porcos; teque veluti brutum animal, quod nec meretur nec novit pretium ejus. Matth. 7, 6. — Iob 28, 13.

2. Desidera ex amore quaerere instanter, quod praestabis, si ejus perfectiones, quae te ad amandum alliciant, contempleris; si lumen ad ipsum amplius cognoscendum petas; si de eo et modo quaerendi Patres spirituales roges; et in nullo, quod Deus non est, sistas.

3. Pete a Domino virtutem seu donum orationis, qua quaerens faciem ejus semper sic petas, ut detur tibi; sic quaeras, ut invenias; sic pulses, ut aperiatur tibi. Psalm. 104, 4. — Matth. 7, 7.

Aspiratio.

Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram. Luc. 15, 3.

DIES XXIV.

CHRISTUS, LIGNUM VITÆ.

Praeparatio.

1. Quis venit? — Christus, lignum vitae afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum et folia ligni ad sanitatem gentium. Apoc. 22, 2.

2. Ad quem venit? — Ad vineam viri stulti, urticis vitiorum repletam et opertam spinis terrenarum cupiditatum: quae tamdiu exspectata est, ut faceret uvas, et fecit labruscas. Prov. 24, 30. — Isaj. 5, 2.

3. Ad quid venit? — Ut huic vitali ligno insita fructus sancti Spiritus proferat, qui sunt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, longanimitas, mansuetudo, modestia, continentia, castitas.

Aspiratio.

Veniat dilectus meus in hortum suum et comedat fructum pomorum suorum. Omnia poma, nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi. Cant. 5, 1; 7, 13.

Gratiarum actio.

1. Respice oculis fidei Christum in medio cordis tui tamquam vitem pulcherrimam et uberem; teque

veluti palmitem attrahentem ab ea succum gratiae, quo folia sanctorum verborum, flores honorum desideriorum et fructus piarum actionum proferre valeas. Joann. 15, 5.

2. Desidera ex amore operari indesinenter, ita ut nullam proficiendi occasionem praetereas, ne posteaquam Dominus frustra exspectavit de te et hoc anno fructus, jubeat tandem te succidi et in ignem mitti. Luc. 13, 7.

3. Pete a Domino virtutem indefessae sollicitudinis, ut habens animam tuam in manibus tuis semper non cesses eam a vitiis purgare et excolere virtutibus. Psalm. 118, 119.

Aspiratio.

Sub umbra illius, quam desideraveram, sedi: et fructus ejus dulcis gutturi meo. Cant. 2, 3.

DIES XXV.

CHRISTUS, DUX GENTIUM ET DOMINUS EXERCITUUM.

Praeparatio.

1. Quis venit? — Christus, dux gentium et dominus exercituum, qui non novit pacem mittere,

sed gladium; qui fortem armatum superavit et universa arma ejus abstulit, in quibus confidebat. Isaj. 55, 4. — Jerem. 31, 35. — Matth. 10, 30. Luc. 11, 22.

2. Ad quem venit? — Ad militem suum transfugam, qui per summam perfidiam ad hostium castra transivit vel certe in duas partes claudicavit jurans in Domino et jurans in Melchom. 3. Reg. 18, 21. — Soph. 1, 5.

3. Ad quid venit? — Ut succingat lumbos ejus in veritate, induat eum lorica justitiae, praebeat ei scutum fidei, in quo possit omnia tela nequissimi ignea exstinguere; et praebeat ei galeam salutis et gladium spiritus, quod est verbum Dei. Eph. 6, 14, 16, 17.

Aspiratio.

Dominus conterens bella, Dominus nomen est illi, qui posuit castra sua in medio populi sui, ut eriperet nos de manu omnium inimicorum nostrorum. Judith 16, 3, 4.

Gratiarum actio.

1. Respice oculis fidei Christum in medio cordis tui tamquam ducem strenuissimum docentem manus tuas ad praelium et digitos tuos ad bellum; teque ut militem ejus gregarium et ignavum, jam nunc ipsi soli militare statuentem. Psalm. 143, 1.

2. Desidera ex amore sustinere infatigabiliter,

ita ut laborans sicut bonus miles Christi famem, sitim, languorem, aestum ceteraque christianae militiae incommoda aequanimiter et delectabiliter perferas. 2. Tim. 2, 3.

3. Pete a Domino virtutem mortificationis et abnegationis, ne sic curras, quasi in incertum; sic pugnes, quasi aërem verberans; sed castiges corpus tuum et in servitutem redigas. 1. Cor. 9, 26, 27.

Aspiratio.

Vivit Dominus, et vivit Dominus, meus rex; quoniam in quocunque loco fueris, Domine, mi rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus. Reg. 15, 21.

DIES XXVI.

CHRISTUS, FONS VITÆ.

Praeparatio.

1. Quis venit? — Christus, fons vitae, fons patens domui Jacob et habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris, et ut qui sitit veniat, et qui vult accipiat aquam vitae gratis. Psalm. 35, 10. — Zach. 15, 1. — Apoc. 22, 27.

2. Ad quem venit? — Ad unum ex illis insipientibus, qui dereliquerunt fontem aquae vivae et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas. Jerem. 2, 13.

3. Ad quid venit? — Ut bibens ex hac aqua non sitiat in aeternum, sed aqua haec fiat in eo fons aquae salientis in vitam aeternam. Joann. 4, 13, 14.

Aspiratio.

Sitivit anima mea ad Deum, fontem vivum; quando veniam et apparebo ante faciem Dei? Psalm. 41, 2.

Gratiarum actio.

1. Respice oculis fidei Christum in medio cordis tui tamquam fontem aquae vivae, fluenta spiritus sui effundentem super sitientem et aridam animam tuam; teque velut alteram Samaritanam, amplius et amplius ab eo postulantem: Domine! da mihi hanc aquam, ut non sitiam. Isaj. 44, 3. — Joann. 4, 15.

2. Desidera ex amore appetere impatienter, ita ut prae desiderio virtutis et rerum coelestium, quasi siti tabescas nullaque re mundi delecteris.

3. Pete a Domino virtutem humilitatis, quia emittit (Dominus) fontes convallibus: inter medium montium pertransibunt aquae, id est, humilibus dat gratiam et superbis resistit. Psalm. 103, 10. — 1. Petr. 5, 5. —

Aspiratio.

Hauriamus aquas in gaudio de fontibus salvatoris. Isaj. 12, 3.

DIES XXVII.

CHRISTUS, VENATOR CORDIUM.

Praeparatio.

1. Quis venit? — Christus, venator cordium, cujus sagittae nunquam redierunt retrorsum; sagittae potentis acutae cum carbonibus desolatoriis. Psalm. 119, 4.

2. Ad quem venit? — Ad animam tuam quasi unam de capreis, quae morantur in silvis, inter spineta mundi hujus errantem et salutares ictus fugientem. 2. Reg. 2, 18.

3. Ad quid venit? — Ut amoris ejus telo saucia suo se tandem venatori sistat; et vulnerata vulneret, et percussa percutiat alias silvestres animas.

Aspiratio.

Ponet pedes meos quasi cervorum: et super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem. Habac. 3, 19.

Gratiarum actio.

1. Respice oculis fidei Christum in medio cordis tui tamquam sagittarium, qui tetendit arcum suum et posuit te quasi signum ad sagittam et misit in renibus tuis filias pharetrae suae, quae sunt jacula charitatis. Thren. 3, 12, 13.

2. Desidera ex amore currere velociter, non jam fugiendo, sed sequendo fervoris passibus venatorem tuum, si quomodo comprehendas, in quo et comprehensa es a Christo Jesu. Philipp. 3, 12.

3. Pete a Domino zelum animarum ardentissimum, ut et tu sis robustus venator coram Domino; et aliquid ei offeras de venatione tua, ut benedicat tibi anima ejus. Gen. 10, 9. 27, 19.

Aspiratio.

Sagittae tuae infixae sunt mihi et confirmasti super me manum tuam. Psalm. 37, 3.

DIES XXVIII.

CHRISTUS, REDEMPTOR.

Praeparatio.

1. Quis venit? — Christus, redemptor, qui non corruptibilibus, auro vel argento redemit nos de vana conversatione nostra, sed pretioso sanguine suo, quasi agni immaculati et incontaminati. 1. Petr. 1, 18, 19.

2. Ad quem venit? — Ad captivam filiam Sion super flumina Babylonis sedentem et flentem, quae gratis venundata est et sine argento redimetur. Psalm. 136, 1. — Isaj. 52, 3.

3. Ad quid venit? — Ut propitietur omnibus iniquitatibus ejus et sanet omnes infirmitates ejus; ut redimat de interitu vitam ejus et coronet eam in misericordia et miserationibus. Psalm. 102, 3, 4.

Aspiratio.

Propter Sion non tacebo et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur, ut splendor, justus ejus et salvator ejus, ut lampas accendatur. Isaj. 62, 1.

Gratiarum actio.

1. Respice oculis fidei Christum in medio cordis tui ut redemptorem tuum, qui praesidio crucis suae jugum oneris tui et virgam humeri tui et sceptrum exactoris tui superavit; teque veluti captivum, ejus gratia, in libertatem filiorum Dei liberatum. Isaj. 9, 4. — Rom. 8, 21.

2. Desidera ex amore audere vehementer, ita ut motus et impulsus a Deo, qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, magna postulare et ardua pro eo aggredi audeas. Rom. 8, 32.

3. Pete a Domino virtutem fraternae charitatis, ut, sicut ille animam suam pro te posuit, ita et tu pro fratribus animam ponas. 1. Joann. 3, 16.

Aspiratio.

Ecce Deus salvator meus: fiducialiter agam et non timebo; quia fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. Isaj. 12, 2.

DIES XXIX.

CHRISTUS, OMNE BONUM.

Praeparatio.

1. Quis venit? — Christus, omne bonum, quod Deus ostendit nobis et ad quos omnes invitat: audite audientes me et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra. Exod. 33, 19. — Isaj. 55, 2.

2. Ad quem venit? — Ad miserrimam creaturam suam, quam circumdederunt mala, quorum non est numerus: quae stulta dicit malum bonum et bonum malum. Psalm. 39, 13. — Isaj. 5, 20.

3. Ad quid venit? — ut indicet ei, quid sit bonum et quid Dominus requirat ab ea; ut repleat in bonis desiderium ejus et super omnia bona sua constituat eam. Mich. 6, 8. — Psalm. 102, 5. — Matth. 24, 27.

Aspiratio.

Quid mihi est in coelo et a te quid volui super terram? Defecit caro mea et cor meum. Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum. Psalm. 72, 25, 26.

Gratiarum actio.

1. Respice oculis fidei Christum in medio cordis tui ut infinitae bonitatis thesaurum; teque ut abys-

sum miseriarum de plenitudine ejus accipientem omne datum optimum et omne donum perfectum. Joann. 1, 16. — Jac. 1, 17.

2. Desidera eum ex amore stringere indissolubiliter, ut scilicet intellectu et affectu semper Deum teneas, et nihil te possit a charitate Christi separare. Rom. 8, 39.

3. Pete a Domino juge exercitium divinae praesentiae, ut ambulans coram eo sis perfectus, ut, sicut deliciae ejus sunt cum filiis hominum, ita deliciae tuae sint cum Filio Dei. Gen. 17, 1. — Prov. 8, 31.

Aspiratio.

Omnia simul in te uno habens lumen oculorum meorum solatium vitae meae te non debeo dimittere a me. Tob. 10, 4, 5.

DIES XXX.

CHRISTUS, PASTOR ANIMARUM.

Praeparatio.

1. Quis venit? — Christus, pastor animarum vigilantissimus, qui cognoscit oves suas, animam dat pro ovibus suis; nunc autem venit requirere et visitare eas, sicut visitat pastor gregem suam. 1. Petr. 2, 25. — Joann. 10, 14, 15. — Ezech. 34, 11, 12.

2. Ad quem venit? — Ad oviculam suam stolidam in deserto hujus saeculi aberrantem et ferarum ac latronum incursibus expositam.

3. Ad quid venit? — Ut inveniat eam et inventam imponat in humeros suos gaudens et convocatis angelis ac Sanctis dicat: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quae perierat. Luc. 15, 5, 6.

Aspiratio.

Erravi sicut ovis, quae periit: quaere servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus. Psalm. 118, 167.

Gratiarum actio.

1. Respice oculis fidei Christum in medio cordis tui tamquam pastorem amantissimum, qui te carnibus suis alit et suo sanguine potat; teque velut ovem pascuae ejus, quae beneficio ipsius jam vocem ejus audis et post eum vadis. Psalm. 99, 3. — Joann. 10, 16.

2. Desidera ex amore ardere suaviter in holocaustum, ita ut de te ipso spiritualiter facere constituas, quod victimae fiebat; nempe a grege segregabatur, ligabatur, occidebatur, excoriabatur, lavabatur, in frustra dividebatur et super altari cremabatur.

3. Pete a Domino virtutem religionis, ut Deo, cujus totus es, cultum, honorem et reverentiam exteriorem exhibeas eique te sincerissime devoveas.

Aspiratio.

Dominus regit me et nihil mihi deerit; in loco pascuae ibi me collocavit. Super aquam refectionis educavit me: animam meam convertit. Psalm. 22, 1, 3.

DIES XXXI.

CHRISTUS, EXEMPLAR OMNIS SANCTITATIS.

Praeparatio.

1. Quis venit? — Christus, exemplar omnis sanctitatis atque virtutis, quod olim in monte Calvariae monstratum est et nunc quotidie in Eucharistia monstratur: cui debent omnes electi conformes fieri. Exod. 25, 40. — Rom. 8, 29.

2. Ad quem venit? — Ad imaginem et similitudinem suam, in qua per culpam obscuratum est aurum, mutatus est color optimus; quia homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis. Gen. 1, 16. — Thren. 4, 1. — Psalm. 48, 13.

3. Ad quid venit? — Ut revelata facie gloriam Domini spectando in eandem imaginem transfirmetur a claritate in claritatem tamquam a Domini spiritu. II. Cor. 3, 18.

Aspiratio.

Praecedat Dominus meus ante servum suum et ego sequar paulatim vestigia ejus, donec veniam ad Dominum meum. Gen. 23, 14.

Gratiarum actio.

1. Respice oculis fidei Christum in medio cordis tui proponentem tibi exemplar vitae tuae, ut inspicias et facias secundum illud; teque veluti rudem pictorem primas imitationis ejus lineas ducentem, portaturum imaginem terreni. Exod. 25, 40. — 1. Cor. 15, 49.

2. Desidera ex amore assimilari perfecte, ita ut Dei perfectionibus, quantum homini fas est, induaris; et virtutes ejus in hoc sacramento praesertim exhibitas, charitatem, humilitatem, obedientiam imiteris.

3. Pete a Domino plenissimam conformitatem cum divina voluntate, ut de te gloriari possit Deus: Inveni virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. Act. 13, 22.

Aspiratio.

Christo confixus sum cruci. Vivo autem jam non ego; vivit vero in me Christus. Gal. 2, 19, 20.

VI.

MANNA QUOTIDIANUM,

ID EST

CONSIDERATIONES ANTE ET POST MISSAM

PER SINGULOS MENSIS DIES

DISTRIBUTÆ.

DIES I.

JESUS, SACRIFICIUM ET SACRAMENTUM IN SS. EUCHARISTIA.

Ante missam.

Punctum I.

Considera, sacerdos, Eucharistiam esse verum et unicum novi testamenti sacrificium, praedictum per Malachiam prophetam dicentem: „A b o r t u s o l i s u s q u e a d o c c a s u m m a g n u m e s t n o m e n m e u m i n g e n t i b u s, e t i n o m n i l o c o s a c r i f i c a t u r e t o f f e r t u r n o m i n i m e o o b l a t i o m u n d a." Mal. 1, 11.

Porro considera, Dominum nostrum Jesum Christum hujus sacrificii esse et sacerdotem et victimam; ac quum in cruce pro nobis sese immolasse non satis haberet, quotidie sacrificium illud super altaribus nostris repetere et ejus ministros nos elegisse. O quantus pro nobis honor, tam sancti pontificis ad altare esse vicarios! Num eo digni sumus?

Quantus Jesu Christi amor, quotidie sese pro nobis sacrificandi! Num et nos in tantum amorem

remunerandum parati sumus ad nosmet ipsos pro eo sacrificandos?

Ascendamus altare hoc nos offerendi spiritu repleti et cum sancto Thoma dicamus: „Eamus et nos, et moriamur pro eo." Joann. 11, 16.

Punct. II.

Considera, Jesum Christum in sancta missa totum se offerre, non modo corpus suum naturale de Maria Virgine sumptum, sed etiam mysticum, ecclesiam scilicet, cujus es membrum. Ideo tu quoque cum eo in sancta missa sacrificaris et immolaris, si tu in eo maneas, et ille in te. „Manete in me et ego in vobis." Joann. 15, 4.

Vide igitur, quomodo ei sis conjunctus, ut cum eo sacrificeris. Quanta ejus spiritui et affectibus oppositio? Qualis ille? qualis tu? — Compara et erubesce! Jam te cum salvatoris tui spiritu unire incipe, ut dignus fias, qui cum eo sacrificeris.

Post missam.

Punct. I.

Considera, Eucharistiam, quum sub panis et vini speciebus Jesu Christi corpus, sanguinem, animam et divinitatem vere contineat, verum esse sacramentum, a te modo in sancta missa receptum. „Credis hoc?" Joann. 11, 26. Credisne hanc veritatem firmiter et sine ulla dubitatione? Cur

Jesu Christi praesentia tam paullulum commoveris? — Patriarcha Jacob, viso in somnio Domino, pavore est perterritus; Salomo admiratione elatus cogitans, Dei majestatem in templo, quod aedificavisset, velle habitare. Qualis fides, reverentia et devotio tua esse debet hoc momento, quo salvatorem tuum vere in corde tuo possides! Ideo majestati ejus devotionem tuam praesta et coram ea penitus humiliare!

Punct. II.

Considera, te hoc sacramento recepto idem Jesu corpus recepisse, quod ex purissimo Mariae sanguine per Spiritum sanctum est formatum, quod tot miracula patravit, quod per totum vitae mortalis cursum tot pro nobis tulit dolores, quod nunc gloriose ad coelestis patris dexteram sedet in coelis; eundem Jesu sanguinem, qui jam in circumcisione manavit et in patibulo crucis usque ad ultimam guttam effusus est; eandem Jesu animam, quae a primo incarnationis momento gratiis et virtutibus repleta est, quae descendit ad inferos et glorioso immortalique corpori sese iterum conjunxit; eandem Jesu divinitatem, quae coelum et terram creavit.

O me ineffabiliter felicem, qui totum Jesum possideo! Aegroti, de quibus Evangelium narrat, eum videntes tantum vel ejus vestimenti limbum tangentes vel manuum impositionem, unum oculorum aspectum recipientes felicissimos sese putarunt; et

ego totum eum in corde meo possidendi felicitate gaudeo. „Benedic, anima mea, Dominum, et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto ejus.“ Psalm. 102, 1.

Divina Jesu caro! adoro te; pretiose Jesu sanguis! in te confido; sanctissima Jesu anima! me tibi conjungo; Jesu mei divinitas! coram te me ex toto corde meo humilio.

DIES II.

JESUS, FIGURA ET VERITAS IN SS. EUCHARISTIA.

Ante missam.

Punct. I.

Considera, hoc sacramento contineri et impleri omnes veteris testamenti figuras, e. g. arboris vitae in paradiso terrestri, mannae in deserto, agni paschalis, panium propositionis in templo, foederis arcae; et ea, quae his figuris significantur, in anima effici. In hoc mysterio Dominus, plenus misericordiae et clementiae, miraculorum suorum memoriam nobis reliquit: „Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus.“ Psalm. 104, 4.

Compara reverentiam, qua figurae istae in vetere testamento honorabantur, cum parva et exigua, qua tu in ipsam veritatem es repletus, devotione: Quantam lex antiqua a sacerdotibus et populo exigebat puritatem, qua ad illas imperfectas et imbecillas umbras et figuras accederent! Quanta igitur nostra debet esse puritas, qua veritatem omnes illas continentem recipiamus! Ideo cum contrito rege David clama: „Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me." Psalm. 50, 4.

Punct. II.

Considera, hoc sacramentum vivam esse mortis Jesu Christi figuram ac memoriam, ut apostolis suis et omnibus eorum successoribus dixit: „Hoc facite in meam commemorationem." Luc. 22, 19. Propterea neque vestis est ulla sacerdotalis ad altare, neque ulla caeremonia in missa, quae non aliquam passionis circumstantiam significet.

Ascende igitur altare eodem spiritu repletus, quo Jesus Calvariae montem ascendit, ut moreretur; vestimenta sacra iisdem animi affectibus indue, quibus omnia, quae corpus ejus tegerent, suscepit. Corporis habitu prae te feras, totum te ejus mortis memoria esse commotum atque perfusum. „Christo passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini." I. Petr. 4, 1. Quoniam

sanctum missae sacrificium vera et viva mortis ejus est figura et renovatio, hac cogitatione penitus te munias.

Concede mihi, o Jesu, gratiam, ne in mystica passionis tuae renovatione infeliciter crimen renovem, quo mors tua est effecta, sed novum redemptionis tuae fructum recipiam. Propterea cum sancta tua ecclesia ad te clamo:

Deus, qui nobis sub sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti: tribue, quaesumus, ita nos corporis et sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis etc.

Post missam.

Punct. I.

Considera, te Jesum Christum ad altare recepisse vere, non figuraliter, ut Israëlitae agnum paschalem comedentes eum receperunt; neque spiritualiter tantum, ut fit per communionem spiritualem, sed vere, realiter et substantialiter; eundem Jesum, quem Pater coelestis ex aeterno genuit, et B. Virgo Maria per novem menses in sacratissimis visceribus portavit.

„Credo, Domine; adjuva incredulitatem meam!“ Marc. 9, 23. — Vere, Domine, te, unigenitum Dei Filium, ad altare genui. „Ego hodie genui te.“ Psalm. 2, 7. Felicitatis particeps factus sum sanctae matris tuae, quae te in

utero portavit: „Beatus venter, qui te portavit.“ Luc. 11, 27. — Ecce conjungo me matris hujus benedictae affectibus gratiasque, quas cor ejus tibi egit, tibi offero: „Magnificat anima mea Dominum; et exultavit spiritus meus in Deo, salutari meo.“ Luc. 1, 46.

Punct. II.

Considera, te Jesum Christum non modo in veritate et talem, qualis fuit in terra et nunc est in coelis, sed etiam una cum omnibus ejus perfectionibus, qualitatibus, virtutibus et meritis in cor tuum recepisse. Haec omnia animo tuo bene pervolve. Est profecto in corde tuo idem Jesus, qui est Deus aeternus, immensus, infinitus; Jesus, qui te creavit, qui te conservat, qui te redemit, qui te aliquando judicabit; Jesus, qui cuncta valet in ordine naturae, gratiae et gloriae; Jesus tam dulcis, tam patiens, tam humilis, tam benignus; Jesus, cujus actiones omnes, vel una tantum, omnes angelorum et Sanctorum longe superant. „In omnibus divites facti estis in illo.“ I. Cor. 1, 15.

Quas igitur tot tantaque beneficia merentur gratias! Quantum te pudere debet, quod tam parvam inde utilitatem hucusque hausisti!

Tribue, quaeso, mi Jesu, ut cum sancto tuo corpore tuum spiritum quoque sanctum recipiam et pretiosi corporis et sanguinis tui participatione

meritorum quoque tuorum et virtutum particeps fiam, qui tantopere eorum indigeo.

DIES III.

JESUS, SACERDOS ET VICTIMA IN SS. EUCHARISTIA.

Ante missam.

Punct. I.

Considera, Jesum summum, aeternum et universalem esse sacerdotem. Summus est sacerdos, quia in eo plenitudo sanctitatis et potestatis sacerdotum inest, et sacerdotes, quidquid virtutum et potestatis possident, ab eo recipiunt. Aeternus est sacerdos, quia sacerdotium ejus in aeternum permanebit in coelis, ubi sine ulla intermissione Patri suo sese sacrificat et sacrificabit. Universalis est sacerdos, quia in omnibus sacerdotibus sacro ministerio fungentibus agit et loquitur: „Habentes itaque sacerdotem magnum super domum Dei, accedamus cum vero corde, in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala.“ Hebr. 10, 21.

Te, divine Jesu, summum meum sacerdotem agnosco; concede mihi tui sacerdotii gratias et sanctitatem, ut tua sancta mysteria digne celebrem.

Punct. II.

Considera, te, quum sacerdos sis, Jesu Christi esse instrumentum et ministrum. In ejus nomine agis et loqueris, et tam intime cum eo conjunctus es, ut quidquid in nomine ejus agis et loqueris, idem ille tecum agat et loquatur. Jesus baptizat, quando tu baptizas. „Hic est, qui baptizat.“ Joann. 1, 33. — Jesus exhortatur, quando tu exhortaris. „Tamquam Deo exhortante per nos.“ II. Cor. 5, 20. — Jesus sanctum missae sacrificium celebrat, quando tu celebras. „Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo.“ Hebr. 13, 15.

Quantus igitur tibi honor ad altare apparere non ut homo mortalis, sed tamquam alter Jesus! Recogita, num digne eum repraesentes. Potestate ejus es instructus: num et ejus virtutibus, sanctitate, humilitate, mortificatione es exornatus? Nonne sacerdos es mundanus, sensualis, immortificatus? — Quo vadis in hoc statu Jesu Christi statui tam contrario? Abjice hominem veterem et novum indue. „Induimini Dominum Jesum Christum.“ Rom. 13, 14.

Post missam.

Punct. I.

Considera, Jesum in ss. Eucharistia sese Deo, Patri suo, generalem pro omnibus hominibus victi-

mam continuo offerre, ut ipsorum loco eum, quem debent, honorem reddat et pro omnibus peccatis ab eis commissis ejus justitiae satisfaciat; et cum Jesum receperis, cor tuum nunc esse altare, super quo victimam sese offerat, ita ut cum propheta dicere possis: „Apud me oratio Deo vitae meae.“ Psalm. 41, 10.

Ex memet ipso, magne Deus, te, quantum mereris, glorificare et placare non possum; ideo dilectissimum Filium tuum respice. „Respice in faciem Christi tui.“ Psalm. 83, 10. Offero tibi ejus sanguinem et vitam et ex toto corde meo me meritis ejus infinitis conjungo.

Punct. II.

Considera, quum s. Paulus vescentes olim carne victimae diis oblatae totius falsorum deorum cultus participes fuisse et saepe in servitutem diaboli incidisse dicat; eo justius esse, te victima vivente, sancta et Deo grata vescentem ejus spiritu animari et repleri. Quare Dominus noster vult, ut qui manducet suam carnem, ex vita ejus vivat. „Qui manducat me, et ipse vivet propter me.“ Joann. 6, 58. Et hoc ipsum altaris participare vocatur.

Largire mihi, dulcissime Jesu, gratiam de spiritu tuo vivendi et hujus mundi spiritum in me mortificandi.

DIES IV.

JESUS, HOLOCAUSTI ET GRATIARUM ACTIONIS SACRIFICIUM IN SS. EUCHARISTIA.

Ante missam.

Punct. I.

Considera, Jesum, omnibus veteris testamenti sacrificiis non sufficientibus ad Deum ut meretur honorandum, in nova lege ss. Eucharistiae sacrificium instituisse, quo, quum infiniti sit pretii, Deo omnes, qui ei ab hominibus debent, honores redduntur. Per illud igitur amantissimus noster redemptor officio nostro et debilitati nostrae subvenit: „Hostias et oblationes et holocausta noluisti, nec placita sunt tibi: tunc dixi: Ecce venio.“ Hebr. 10, 8.

O admirabilis Jesu Christi sapientia, quae adjumentum tam validum invenit, quo perfecte officium reddendae Patri colesti devotionis et adorationis impleamus. Conjungamus ergo nos ejus in instituendo hoc sacrificio intentioni; illum offeramus, ut Patrem ejus in spiritu et veritate cum eo adoremus. „Tales quaerit, qui adorent eum.“ Joann. 4, 23.

Omnibus, mi Jesu, quae tibi displicent, renuntio; veni in cor meum, ut mearum adorationum,

gratiarum actionum et satisfactionum indignitatem ac debilitatem suppleas, ut omnes meos defectus et negligentias repares; quam saepe enim non feci quae Deo meo debeo!

Punct. II.

Considera, in sacrificiis holocausti totam victimam igne esse consumptam, ut summum Dei imperium in homines significaretur. Jam vide Jesum in sanctissimo sacramento per amoris erga nos effectum, in transsubstantiatione et communione semet ipsum exinanientem et destruentem ad honorandam Dei, Patris sui omnipotentiam, independentiam et summam potestatem.

Jamjam hoc holocaustum es oblaturus; qualis animi tui dispositio? Num eadem est, quae salvatoris tui? Num paratus es ad offerendum te cum eo sine ulla reservatione? Nonne est aliquid super terra, cui anima tua adhaereat, parentes, amici, bona, hujus vitae voluptates et commoditates, animi tui facultates, sanitas tua, honor tuus, vita tua, tu ipse? —

Vere, mi Domine, omnibus abrenuntio, ut me tecum sacrificem. „Suscipe me secundum eloquium tuum, et vivam: et non confundas me ab expectatione mea.“ Psalm. 118, 116.

Post missam.

Punct. I.

Considera, homines infinita dona tam interiora quam exteriora ab infinito Dei amore perpetuo re-

recipientes semper id summo studio spectare debere, ut justas ei gratias agant. Id, quod quia propter naturae fragilitatem et debilitatem semper facere non possunt, Jesus Christus in hoc sui amoris sacramento remanere voluit ad defectum eorum supplendum et ad perpetuas Patri suo eorum loco gratias agendas.

O quam sanctae sunt Jesu gratiarum actiones, quam gratae Deo Patri coelesti! Quam felix ego, in cujus loco tam gratas gratias agit! Quomodo unquam, mi Deus, haec beneficia retribuam! Quae dona offeram tibi, qui „bonorum meorum non eges.“ Psalm. 15, 2. Tu enim omnium, quae habeo, es creator et auctor.

Dignare igitur, quaeso, Domine, quas Jesus tibi pro me agit gratias accipere; me eis, quantum possum, conjungo.

Punct. II.

Considera, quantum Jesu Christo debeas, quum tibi dederit, unde justas Deo pro beneficiis receptis gratias ageres. Nam Patri coelesti Filium unigenitum offerens plus ei reddis, quam accepisti. Nonne hic Filius fons est omnium bonorum, bonum summum, essentiale, universale? Et quidquid tibi Deus praeter eum dare potest, solum est fontis illius foecundi et infiniti emanatio et effusio.

O quanta pro te consolatio! Ne omittas unquam Deo Patri per Jesum Christum gratias agere

„Gratias agentes Deo et Patri per ipsum.“ Coloss. 3, 17. Ita nova tibi dona a Deo contrahes et colliges. Ecclesia hoc officium in mentem tibi revocat in praefatione, quam quotidie recitas, animo ad id fortasse non adverso: „Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere per Christum Dominum nostrum.“

DIES V.

JESUS, PROPITIATIONIS ET IMPETRATIONIS SACRIFICIUM IN SS. EUCHARISTIA.

Ante missam.

Punct. I.

Considera, Jesum Christum, quum universum genus hominum ne pro uno quidem peccato satisfacere posset, incarnatum esse et in cruce mortuum; ut nobis remissionem peccatorum nostrorum mereretur; et per bonitatis suae excessum in sanctissimo altaris mysterio ad satisfactionis illius fructus nobis convertendos praesentem se reddere. Propterea ecclesia de Jesu eucharistico nos dicentes facit:

„Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi." Joann. 1, 29.

O qualis pro nobis fons consolationis, toties hoc sanctum sacrificium offerre, cujus vi peccata nostra deleantur, qui tot hucusque commisimus, tot quotidie committimus, tot committemus per residuam vitam, quae semper nos peccandi periculo exponit! —

Dulcissime Jesu! Ego, maximus peccator coram te me praesento: miserere mei secundum magnam misericordiam tuam et virtute pretiosi tui sanguinis omnes vitae meae iniquitates dele. Num cunctas istas mihi remisisti? — Ex toto corde meo et tui amore commotus eas detestor. Non despicies cordis humiliati et contriti sacrificium secundum verbum tuum: „Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies." Psalm. 50, 18.

Punct. II.

Considera, Jesum semper futuros esse prospiciens, qui Deum offendant, propitiationis sacrificium in ss. Eucharistia remanere voluisse, ut omnium peccatorum, quae commissuri essent, veniam a Patre semper peteret et divinam justitiam hominibus irascentem placaret.

„Ipse est, ut scribit s. Joannes, propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi." I. Joann. 2, 2. An hoc amplior unquam amor extitit? — Offer igitur Patri coelesti

hoc propitiationis sacrificium, non solum pro tuis, sed etiam pro peccatis totius populi christiani et magnorum, qui tibi noti sunt, peccatorum. Tuum est, sacerdos, inter altare et vestibulum plorare et clamare: „Parce, Domine, parce populo tuo." Joël 2, 17.

Post missam.

Punct. I.

Quum homines propter peccata indigni essent, qui donum aliquod a Deo reciperent, Jesus in ss. sacramento permanere voluit, ut omnes nobis gratias impetraret, quarum indigeremus pro anima et corpore, pro tempore et aeternitate. In cor tuum deversatus ex eo rogationes suas Patri coelesti pro te profert, „semper vivens ad interpellandum pro nobis." Hebr. 7, 25. O intercessorem dignum! Quid sine eo faceremus? An nosmet ipsi gratiam unquam a Deo obtineremus?

Gratias tibi ago, o Jesu, quod pro me apud Patrem tuum intercedere dignaris. Totum me et omnia mea in manibus tuis pono et precibus tuis me conjungo. Id tantum desidero et rogo, quod tu pro me rogas, et quod rogare me docuisti: „Pater noster, qui es in coelis, sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum etc.

Punct. II.

Jesus in sanctissimo altaris sacramento sine ulla intermissione Deum pro nobis exorat, neque Pater quidquam ei renuit, ut divinus salvator ipse dixit: „Sciebam, quia semper me audis." Joann. 11, 42. Attamen, si fructuum ejus precum participes fieri volumus, eadem, quae orans Jesus, sentiamus necesse est: cum eo orare et eodem, quo is orat, modo orare debemus. Jesu preces quam sanctae sunt, quam gratae Deo! Quanta in iis animi recollectio, quanta attentio, quanta devotio, quantus ardor! Et hoc divinum exemplum sequi debemus. „Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu." Philipp. 2, 5.

Penetra in illas Jesu Christi animi dispositiones. Fortasse hucusque nihil adhuc in nomine et per merita ejus petiisti: „Usque modo non petistis quidquam in nomine meo." Joann. 16, 24. Num mirandum est, quid causae fuerit, quare hucusque tam parvam ex hoc magno impetrationis sacrificio toties a te oblato perceperis utilitatem. „Petite et accipietis." Ora igitur, cum Jesu et sicut Jesus; et quidquid petieris accipies.

DIES VI.

JESUS, DEUS ET REX NOSTER IN SS. EUCHARISTIA.

Ante missam.

Punct. I.

Jesus in sanctissimo sacramento vere praesens ut Deus, cum omnibus infinitis et incomprehensibilibus qualitatibus et perfectionibus, cum majestate, omnipotentia, aeternitate, infinitate, sanctitate, sapientia, bonitate, patientia, justitia et misericordia adest.

Vere ergo, o mi Deus, in hoc mysterio es Deus absconditus! „Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel salvator." Is. 45, 15. Etiamsi in eo ne humanitatem quidem tuam videam, tamen praesens es ut Deus et homo. Credo hoc ex toto corde meo et confiteor te in hoc sacramento Dominum meum et Deum meum. „Dominus meus et Deus meus." Joann. 20, 28. At quis sum ego, magne Deus, qui ad te offerendum et recipiendum accedam?

Punct. II.

Quem nunc recepturus es, Sanctus Sanctorum est, Deus sanctitatis, ipsa sanctitas, et ab omnibus, qui ad ipsum accederent, magnam semper exigebat

sanctitatem. Cogita, quid postulaverit a Mose, antequam ei permisit, ut propius ad rubum ardentem accederet. „Solve, inquit, calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est.“ Exod. 3, 5. Cogita, quid praescripserit Aaroni et filiis ejus, priusquam in tabernaculum testimonii introirent et thymiama offerrent. Praecipit enim, ut pedes et manus lavarent, et mortem iis minitatur, nisi huic praecepto obedirent. Exod. 30, 19—21.

Tu ipse, mi Deus, requisitam mihi largire puritatem, ut ad te digne accedam. „Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.“ Psalm. 50. 12. „Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es?“ Job. 14, 4. — „Si lotus fuero quasi aquis nivis, et fulserint velut mundissimae manus meae: tamen sordibus intinges me, et abominabuntur me vestimenta mea.“ Job. 9, 30, 31.

Post missam.

Punct. I.

Idem Jesus, quem sacra scriptura nominat regem regum et dominum dominantium (Apoc. 19, 16), nunc in corde tuo est quasi rex in throno suo, ubi

devotionem, obedientiam et fidem, quam debes, expectet. Agnosce ejus auctoritatem et tui imperium: „Tu es ipse rex meus et Deus meus.“ Psalm. 43, 5.

Quum tu, mi Jesu, sis rex meus et Deus meus, in sempiternum omnes facultates meas, omnes corporis et animi vires rege. O quantus pro me est honor, subditum esse tam excelso regi; qui sedet ad dextram Patris in coelis; cui data est omnis potestas in coelo et in terra; quem adorant omnes angeli et Sancti; ex quo pendent omnes reges terrae: regi tam augusto servire regnare est. Quantum mihi prodest, sub legibus regis tam justi et boni vivere, cujus jugum est tam suave et tam leve! Tu, dulcissime Jesu, rex meus esto in aeternum; fidelitatem tibi juro inviolabilem.

Punct. II.

Considera, quid Jesu, regi tuo, debeas. Liberavit te a tyrrannide diaboli, a turpi peccatorum servitute. Elegit te ministrum et intimum amicum suum. Contulit tibi omnem potestatem suam, per quam reges terrae tibi subjiciantur. Quotidie te admittit ad mensam suam. „Sic honorabitur, quemcunque rex voluerit honorare.“ Esth. 6, 11.

O quam magnificus et beneficus rex est dulcissimus meus Jesus! Quomodo me elevavit, usque ad thronum suum? Quot et quanta pro me fecit?

„Exaltabo te, Deus meus, rex; et benedicam nomini tuo in saeculum et in saeculum saeculi.“ Psalm. 144, 1.

DIES VII.

JESUS, CREATOR ET REDEMPTOR NOSTER IN SS. EUCHARISTIA.

Ante missam.

Punct. I.

Jesus in sanctissimo sacramento quum sit Deus vivus et verus, creator tuus est. Idem est, qui te misericordia effectu, minime tui indigens, id, quod es, fecit. Vere „manus tuae, Domine, fecerunt me et plasmaverunt me totum in circuitu.“ Job. 10, 8.

Et omnipotens ille creator in te vult venire; cordis tui jus ac potestatem habet. Quanta ideo diligentia hoc cor tuum ad eum recipiendum praeparare, quanta liberalitate ei illud offerre debes dicens: „Tuus sum ego.“ Psalm. 118, 94. Ne despicias, quaeso, hoc habitaculum, quod pro te ipse extruxisti; rectifica opus tuum; corrige, repara peccatis depravatum; redde primam pulchri-

tudinem. Pro te me creasti; te solum quaero. „Sitivit in te anima mea, quam multiplicitur tibi caro mea.“ Psalm. 92, 2.

Punct. II.

Considera, eundem Jesum, qui te creavit, quotidie vitam tibi datam conservare, futurumque esse, ut, si unum tantum momentum te conservare desinerit, statim in nihilum, ex quo te traxit, redeas.

O Domine! postquam vitam mihi dedisti et beneficiis me cumulasti, me adjuvare non cessans animam meam conservasti. „Vitam et misericordiam tribuisti mihi, et visitatio tua custodivit spiritum meum.“ Job. 10, 12. Quantum igitur tibi, mi Deus, sum obligatus! Ubi nunc essem, si tu mihi defuisses funestis istis diebus, quibus te offendi et tam exigua devotione, fortasse peccatis oneratus ad altare tuum accessi! Me felicem, qui nunc adhuc vivo paratus ad te offerendum et recipiendum! Concede mihi gratiam hodie et omnes vitae meae dies cum majore cordis puritate et devotione sanctam missam celebrandi, ut omnes negligentias meas praeteritas reparem. Est fortasse hodie postremum sacrificium, quod tibi offeram. „Conserva me, Domine, quoniam speravi in te. — Holocausta medullata offeram tibi.“ Psalm. 5, 1. — 65, 15.

Post missam.

Punct. I.

Considera, nos per peccatum primi hominis diaboli et peccati mancipia factos et ideo morti et inferno addictos esse; Deum autem nobis Filium suum misisse, qui nos ab omnibus his malis liberaret, et Jesum superabundantia amoris et misericordiae redemptionis opus pro nobis in ss. Eucharistia continuare. „Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate." Tit. 2, 14.

Quid tibi, amantissime Jesu, pro tanto beneficio retribuam? „Dirupisti vincula mea; tibi sacrificabo hostiam laudis." Psalm. 115, 7. Redemptionis tuae fructus mihi convertere continua; valde eorum indigeo. „Redime me, Domine, et miserere mei." Psalm. 25, 11.

Punct. II.

Considera, te a Jesu redemptum non tuum amplius esse, sed Jesu. „Non estis vestri." 1. Cor. 6, 19. Ejus es, ut bonum, possessio, haereditas, quam magno emit; neque tibi contra ejus voluntatem de tempore tuo, de labore tuo, de bonis tuis, de vita et libertate tua disponere licet. Attamen quoties, ex quo tempore Jesus te redemit, peccatis, mundo, cupiditatibus tuis te dedidisti! recogita, quantam ei irrogaveris injuriam. Quid ad reparandam eam facere debebas? Pro te solo,

divine redemptor, ab hoc tempore vivam. „Nunc magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem. Mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum.“ Philipp. 1, 20—21.

DIES VIII.

JESUS, LEGISLATOR NOSTER ET CAPUT NOSTRUM IN SS. EUCHARISTIA.

Ante missam.

Punct. I.

Jesus in sanctissimo sacramento idem est, qui in hunc mundum venit, ut veteris legis figuras et caeremonias aboleret et novam legem constitueret, quae est lex amoris et gratiae. Est igitur noster legislator. „Dominus legifer noster.“ Jes. 33, 22.

Quantas ei debemus gratias, qui nobis a tot praeceptis et caeremoniis, quibus Judaei onerati ingemiscebant, liberatis tam sanctam legem attulit et gratiam ejus implendae comparavit? Quam gratos ei nos praebere debemus, quum nos ad eam observandam tam opimis promissionibus et tam ter-

ribilibus minationibus excitet et invitet? Agnosce, non esse legislatorem ei similem. „Nullus similis ei in legislatoribus." Job. 36, 22.

Sed si Deus tantas praeparationes exigebat a populo suo, antequam veterem legem ferret; si postulabat, ut se sanctificarent, ut vestimenta lavarent, ut per tres dies se a feminis abstinerent: quomodo debes esse paratus ad ipsum legislatorem recipiendum? —

Tu ipse mihi, mi Deus, timorem, amorem et puritatem dona et per gratiae tuae effusionem me sanctifica; nam „domum tuam, Domine, decet sanctitudo." Psalm. 92, 5.

Punct. II.

Considera, Jesum Christum, legislatorem nostrum, quamquam lege nobis data se eximere potuit, tamen ei sese subjicere voluisse, ut nos per suum ipsius exemplum eam observare doceret; ne ad temperandum ejus rigorem adduceremur; ut omnes, quibus legis severitatem debilitaremus, temperationes condemnaret. „Non veni, dixit, solvere legem, sed adimplere." Matth. 5, 17.

Perlustra et evangelii ejus leges ac doctrinam, et actiones ac vitam, et perfectam earum conformitatem agnosces. Permagno pudore te afficiat comparatio ejus accurationis et tuarum infidelitatum, ejus ardoris ac fervoris et tuae tarditatis.

Accede nunc ad eum firmiter statutum habens,

ut omnia ejus praecepta sis adimpleturus. „Paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.“ Psalm. 118, 60.

Post missam.

Punct. I.

Considera, Jesum esse caput tuum, ecclesiam corpus ejus, et te unum ex illius membris. „Ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam.“ Eph. 1, 22. Vide, quomodo in sanctissimo sacramento ut caput ecclesiae operetur; hoc corpus suum regat, ducat et custodiat, et spiritum suum super omnia membra effundat; ea vivificet et secum conjungat.

Quanto nobis est honori tam sancti et excelsi capitis esse membra et tam arctis vinculis, quam corpori membra, ei esse conjunctos! „Membra sumus, dicit s. apostolus, corporis ejus, de carne ejus, et de ossibus ejus.“ Eph. 5, 30. „Estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis.“ Coloss. 2, 10.

Vere, dulcissime Jesu, caput meum es. Per spiritum tuum me vivifica, et gratiae ac sanctitatis tuae virtutem super omnes animae meae facultates effunde.

Punct. II.

Considera, quantum divino redemptori, capiti tuo, debeas. Te decet eum amare et honorare,

secundum ejus spiritum vivere et in omnibus ei obedire. Recogita, quomodo haec omnia hucusque feceris. Quantopere es vituperandus? Quanta ignominia illud caput tuum affecisti? Quantum in Jesum friges? Quantum te ejus spiritui opponis? Quanta in mandatis ejus infidelitas? Incipe tandem omnes hos defectus corrigere.

Adoro te, mi Jesu, caput meum; amo te ex toto corde meo; quantum in me est, me tecum unio. In posterum secundum tuum tantum spiritum vivere volo, et paratus sum ad tuam sanctum voluntatem in omnibus adimplendam. „Paratum cor meum, Deus; paratum cor meum." Psalm. 56, 8.

DIES IX.

JESUS, PASTOR ET PATER NOSTER IN SS. EUCHARISTIA.

Ante missam.

Punct. I.

Considera infinitum amorem, quo Pater coelestis permotus Filium suum pastorem nobis dedit, ut nos ab hostium furore liberaret, contra eorum incursus

defenderet, quaereret, dirigeret et nutriret. Admirare amorem, quo Jesus inflammatus in sanctissimo sacramento pastorem nostrum se praebet. Venit, ut nos quaereret; paratus est, ut vitam suam pro nobis daret. Qualis tuus in eum animus? O quot contumaciae! Quot infidelitates!

Agnosco, divine pastor, errationes meas. „Erravi, sicut ovis, quae periit; quaere servum tuum." Psalm. 118, 176. Mihi per pastorem tam bonum directo nihil deerit. In ecclesia, sicut in loco pascuae, me posuit. „In loco pascuae ibi me collocavit." Psalm. 22, 2. Jam opimam hanc pascuam in altari inveniam. Concede mihi, Domine, gratiam, eam degustandi, eaque me semper vera fame et novo ardore satiandi.

Punct. II.

Considera, bonum pastorem oves suas cognoscere. „Cognosco oves meas." Joann. 10, 14. et ideo te a Jesu, pastore tuo melius cognosci, quam a temetipso. Nunc quum altare es ascensurus, quae in corde tuo profundissime latent, tuas sententias, intentiones, cogitationes, desideria tua, cupiditates et dispositiones tuas optime perspicit. Time, ne te culpabilem inveniat propter complures defectus, ad quos minime animum tuum advertas?

Quidquid in me, mi Deus, criminosi reperis, detestor. „Ab occultis meis munda me, Domine!" Psalm. 18, 13.

Porro inquire, num Jesum bene cognoscas; nam „cognoscunt me meae.“ Joann. 10, 14. Nonne tibi exprobrare posset, sese, ex quo tempore sacerdotio fungeris et saepius cum ipso conversaris, nunquam a te bene esse cognitum. Si eum talem, qualis est, cognoscis, tua quoque ad eum recipiendum praeparatio huic cognitioni debet respondere.

Post missam.

Punct. I.

Considera, Jesum in sanctissimo sacramento vere esse patrem nostrum, quia nos in cruce latere aperto genitos non aliis nutriendos tradidit, sed corpus et sanguinem suum in spirituale animae nostrae nutrimentum, ad conservandam et augendam gratiae vitam praebuit.

O vere paterno major amor! An fuit unquam pater melior et amore nostro dignior? Nostri secundum carnem parentes semel tantum vitam nobis dederunt, eamque mortalem et innumerabilibus miseriis repletam; — Jesus nobis corporis et animae vitam donat et suo ipsius corpore nos nutrit. Nonne ex omnibus his cum propheta intelliges, te ab eo paterna charitate amari. „Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.“ Psalm. 102, 13. — Tibi dicta sunt verba illa consolationis: „Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua

sunt.“ Joann. 15, 31. Num idem Jesu, patri tuo, dicere potes? — Vere, mi Jesu, totus tuus sum et ero in aeternum.

Punct. II.

Quodsi Jesus in myserio sui amoris pater tuus est, tu ei filialem honorem, amorem et obedientiam debes. Examina te de omnibus his officiis et ei per Malachiam prophetam te interroganti responde: „Si pater ego sum, ubi honor meus?“ Malach. 1, 6. Qualis est ardor tuus ad mei honoris augendi? Quomodo, quando fert occasio, res divinas tueris atque defendis? Qualis est tua in me confidentia? Qualis tua meae voluntati conformitas?

Agnosco te, mi bone Jesu, patrem meum et in posterum te omni honore, quem tibi debeo, afficiam. Quomodo te non amem, qui mihi hac vita tot tribuisti beneficia! Vere, Domine, fideliter tibi serviam et usque ad mortem in omnibus obediam.

DIES X.

JESUS, SPONSUS ET FRATER NOSTER IN SS. EUCHARISTIA.

Ante missam.

Punct. I.

Considera, Jesum inter multas alias qualitates sibi sponsi quoque animarum nostrarum qualitatem attribuere, et quamvis Deus infinitae majestatis, tamen cum nostra vili et humili natura sese conjungere voluisse. Quae conjunctio primum facta est in mysterio incarnationis; sed per amoris excessum, quem nunquam satis possumus admirari, uniuscujusque nostrum animam in sanctissimo sacramento, quod hanc ob causam incarnationis extensio et amplificatio potest appellari, sibi vult despondere.

Jam sponsus ille se praeparat, ut ad te veniat; tuum est ei obviam ire. „Ecce sponsus venit; exite obviam ei.“ Matth. 25, 6. Praepara animam tuam ad eum recipiendum eodem modo, quo prudentes evangelii virgines eum receperunt. Vide, num amor ejus, qui lampadibus ardentibus significatur, in te quoque ardeat.

Punct. II.

Considera, quae sint hujus divini sponsi qualitates. Pulchritudo ejus omnium hominum pulchri-

tudinem longe exsuperat. „Speciosus forma prae filiis hominem.“ Psalm. 44, 5. Sponsus est omnium amicissimus, fidelissimus et constantissimus secundum illud ab Osea propheta dictum: „Sponsabo te mihi in sempiternum.“ Os. 2, 19.

Quales illarum Jesu, sponsi tui, qualitatum cordi tuo impressiones? Num iis commovetur? Num magno te ei conjungendi deseriderio ardes? Num tibi solus complacet? Et tu, num et ei complacendi felicitate uteris? Potesne juste credere, te bona aliqua qualitate amorem ejus tibi comparasse? Fortasse eum negligis, fortasse ei es fastidio.

Remove, o divine sponse, a me omnia, quae tibi possint displicere; id unum desidero, ut tibi placeam et me tibi conjungam in aeternum.

Post missam.

Punct. I.

Considera, Jesum Christum, in incarnatione natura nostrae simili assumpta, fratrem nostrum esse factum. Ideo s. Paulus eum primogenitum inter multos fratres appellat. „Primogenitus in multis fratribus.“ Rom. 8, 29. Quantus nobis honor, Jesum fratrem nostrum habere! Si peccatum, inscientiam et concupiscentiam exceperis, in omnibus nobis similis est. Homo factus, quales nos sumus, omnibus quoque, ut ait s. Paulus, miseriis

et necessitatibus nostris subjici debuit, ut majore infirmitatum nostrarum misericordia permoveretur. „Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret.“ Hebr. 2, 17.

Age igitur cum eo ut cum fratre tuo; sine ullo timore, omnes animae tuae curas, sollicitudines et angores ei detege; omnem in eo pone fiduciam tuam eique gratias age, quod tantopere se humiliare voluit, ut tibi similis fieret.

Punct. II.

Considera, Jesum in sanctissimo sacramento singulari quodam modo fratrem nostrum fieri, quia nobis se donat, ut ei conformes reddamur non modo secundum carnem, sed etiam secundum spiritum et cogitationes, ita ut quasi unum tantum cum eo Christum faciamus.

Effice in me, quaeso, mi Jesu, admirabilem hanc commutationem, ut dicere possim cum s. Paulo: „Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus.“ Gal. 2, 20. Is enim frater Christi est, qui cum eo eundem spiritum, idem cor, easdem cogitationes, eadem desideria habet; qui de omnibus judicat, ut Christus judicat; qui amat, quae Christus amat; qui voluntatem Dei sequitur, ut Christus eam sequebatur. „Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus est.“ Marc. 3, 35.

DIES XI.

JESUS, MAGISTER ET SALVATOR NOSTER IN SS. EUCHARISTIA.

Ante missam.

Punct. I.

Considera ineffabilem Dei nostri bonitatem, qui, postquam nos per angelos, per patriarchas et prophetas docuit, unigenitum Filium suum misit, qui magister noster esset, qui nos de lege sua instrueret et ad observandam eam exhortaretur. Quamvis magnae sint tuae scientiae, te considera ut discipulum, cui institutio valde est necessaria, quamquam ipse debebas esse magister et alios doces, quid credant et quid faciant. Agnosce ignorantiam tuam et tenebras tuas in omnibus, quae ad animae salutem et perfectionem pertinent, et ad divinum illum magistrum semper recurre. „Ipsum audite.“ Luc. 9, 35. Docebit te, quae ignoras, si satis fidei habes, ut ejus verba recipias, et satis humilitatis, ut ei obedias.

„Loquere, Domine, quia audit servus tuus.“ I. Reg. 3, 10. — „Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me.“ Psalm. 24, 4.

Punct. II.

Considera, Jesu, divino nostro magistro, non suffecisse, per verba sua nos docere, sed ipsum primum fecisse, quae voluit, ut post ipsum faceremus. „Coepit Jesus facere et docere.“ Act. 1, 1. Per totam vitam dicta actionibus fulsit, et in sanctissimo sacramento perpetuum nobis virtutum ab ipso commendatarum exemplum reliquit. O quantum differt tua ab ejus agendi et vivendi ratione? In verbis magister es, at vita tua verbis respondet? Optimas requiris animi dispositiones ab eis, qui saepe sanctam communionem recipere volunt: quales tui ipsius dispositiones? Perscrutare eas coram Deo tuo, et idem tibi dic, quod toties curae tuae commendatis et poenitentibus repetis.

Magno pudore, o mi Deus, profundor tot animas videns, quae cum majore puritate et devotione, quam ego, ad mensam tuam accedunt, quamquam eas quum in omnibus, tum in hac re longe debeo superare. Noli permittere, ut eorum exemplis et meis verbis aliquando condemner.

Post missam.

Punct. I.

Considera, Jesum solum posse appellari salvatorem et redemptorem. Sunt quidem nonnulli, qui ante eum salvatores et redemptores nominentur; sed juste hoc nomine non penitus digni sunt. Salvarunt

enim diligentia et loboribus: Jesus nos vitae sacrificio salvavit. Illi nonnullos tantum salvaverunt: Jesus omnium est salvator. Illi à temporalibus solum malis redemerunt: Jesus ab aeternis. Illi in breve tantum tempus salvarunt: Jesus est salvator in saecula saeculorum.

Clama igitur cum magna gratitudine et ardentissimo amore: „Hic est vere salvator mundi." Joann. 4, 42. Tu, dulcissime Jesu, verus es salvator meus, neque alium agnosco, nisi te, et per te solum spero salutem aeternam. „Non est in alio aliquo salus." Act. 4, 12.

Punct. II.

Considera, Jesum, quamquam te in cruce redemit, semper se redemptorem tuum praebere opus esse, quia semper tibi sunt peccata extinguenda, certamina committenda, tentationes timendae, gratiae petendae. Atqui sine hujus salvatoris meritis nihil vales et pereundi periculo semper es expositus.

Implora igitur confidenter ejus praesidium et adjutorium; in mediis periculis, quibus es circumdatus, cum sanctis apostolis clama: „Domine, salva nos, perimus." Matth. 8, 25. In mundo sumus tamquam in mari tempestatibus agitato; si unum solum momentum nos deseris, perimus. Omnia time de infirmitate tua, omnia spera a salvatore tuo; firmiter tibi propone, omnes peccandi occasiones devitare.

DIES XII.

JESUS, HOSPES NOSTER ET VIATICUM NOSTRUM IN SS. EUCHARISTIA.

Ante missam.

Punct. I.

Considera, eundem ipsum Deum, qui in coelis habitat, angelis et electis circumdatus, in corde tuo, tamquam in domo sua, velle habitare. Quare cum propheta clames: „Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum?" Psalm. 8, 5. Quid est homo, magne Deus, quem memoria tua tantum honores? Quid est filius hominis, i. e. justus (ut explicat s. Augustinus), quem ad visitandum te tantopere humilies?

Pulvis sum et cinis; pars mea putredo et corruptio et peccata; attamen „Domine! si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum?" Gen. 18, 3.

Punct. II.

Considera, imprimis domum Domini decere sanctitudinem, et Jesum pura semper sibi elegisse habitacula. Elegit sibi casta B. Virginis Mariae viscera; instituit sanctissimum altaris sacramentum

in coenaculo bene praeparato; mortuus novis linteis involvi et in novo sepulchro poni voluit.

Porro considera, eum praemia largitum esse ipsum recipientibus perampla e. g. sanctae Virgini, Zachariae domui, convivis Canae nuptialibus, Zachaeo, Marthae et Mariae, Justis in sinu Abrahae.

Quantum excelsa hujus hospitis majestas et gratiae visitationi ejus adjunctae te concitare debent, ut dignum ei praepares habitaculum! Roga eum, ut ipse tibi largiatur virtutes ad exornandum cor tuum, quod habitaculum sibi elegit, necessarias; nam „nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui aedificant eam." Psalm. 126, 1.

Post missam.

Punct. I.

Considera, nos esse in hac terra quasi peregrinos et viatores, terram nobis esse viam et exilium, coelum autem patriam nostram et vitae nostrae finem; Jesum in sanctissima Eucharistia nobis sese praebere viaticum, quo sustentati peregrinationem per residuum dierum nostrorum continuemus.

Quantum nobis ad reparandas vires nostras tam validum nutrimentum opus fuit! Quam benignum et misericordem Jesus se nobis praestitit! Timuit, ne sine viatico dimissi in via deficeremus. „Si dimisero eos jejunos, deficient in via." Marc. 8, 3.

Quomodo te, salvatoris mei amor, dignis efferam laudibus! Da mihi, quaeso, hoc salutari nutrimento bene utendi gratiam; esto meum per vitam et mortis meae hora viaticum. „Quoniam ego advena sum apud te, et peregrinus, sicut omnes patres mei: remitte mihi, ut refrigerer, priusquam abeam, et amplius non ero.“ Psalm. 38, 13.

Punct. II.

Considera, te, hoc viatico recepto, ad ferventiorem progressum esse obligatum, quoniam in hunc solum finem tibi datum est. Continuare debes viam salutis et perfectionis sine ulla commoratione aut degressione, donec ad finem curriculi perveneris; sicut Elias, postquam panem ab Angelo ei apportatum manducavit, „Ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb.“ III. Reg. 19, 8.

Hoc sancto viatico toties refectus multum jam in via virtutis profecisse debebas. Et ecce, vix hanc viam ingredi coepisti. Humiliare coram Deo; time, ne nox te opprimat; tempus perditum compensare contendas.

DIES XIII.

JESUS, MEDICUS NOSTER ET REMEDIUM NOSTRUM IN SS. EUCHARISTIA.

Ante missam.

Punct. I.

Considera, Jesum summum esse animae et corporis medicum; omnes morbos et languores nostros bene cognoscere; eorum misericordia commotum esse; ad eos sanandos in terram descendisse; per totam vitam infirmitatibus curandis occupatum fuisse; nunc quoque si eadem fiducia, qua Evangelii aegroti, ad eum recurramus, nostros animae et corporis morbos sanare posse.

Quare te coram eo agnosce aegrum, ejus auxilii indigentem et dic illi: „Domine! ecce quem amas infirmatur.“ Joann. 11, 3. „Domine! si vis, potes me mundare.“ Marc. 1, 40. Intende, divine animae meae medice, in adjutorium meum, ut sanes eam. „Sana animam meam, quia peccavi tibi.“ Psalm. 40, 5.

Punct. II.

Considera, divinum illum medicum non modo malorum nostrorum scientiam et ea vel uno verbo sanandi voluntatem ac potentiam habere, sed ipsum languores nostros et infirmitates nostras tulisse.

„Vere languores nostros ipse tulit, et infirmitates nostras ipse portavit.“ Isaj. 53, 4.

Ut sua ipsius experientia edoctus remedia nobis necessaria cognosceret eaque efficaciora redderet, tentatus est, jejunavit, sudavit, fatigatus, afflictione et inquietudine affectus, in omnibus animae facultatibus, in omnibus corporis membris passus est.

O amantissime medice! Quis unquam potest inveniri, qui majore infirmitatum nostrarum misericordia commoveatur, quam tu, omnibus iis, excepto peccato, affectus? „Tentatus per omnia pro similitudine absque peccato.“ Hebr. 4, 15. An est, quod nostram in eum fiduciam magis excitet et augeat? „Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.“ L. c. 8, 16.

Post missam.

Punct. I.

Considera, Jesum in sanctissima Eucharistia non modo esse summum animae et corporis medicum, sed etiam semet ipsum nobis omnium infirmitatum nostrarum praebere remedium. Eadem vis, qua olim aegros sanabat sive absens sive praesens, hodie adhuc in eo inest. Quanta ideo nunc in te efficere poterit, qui eum totum possideas? „Be-

nedic, anima mea, Domino, qui sanat omnes infirmitates tuas." Psalm. 102. Quare, medicina illa toties accepta, tot laboro infirmitatibus? Remedio, quod omnium est efficacissimum atque excellentissimum et innumeris hominibus jam sanitatem restituit, minime id est attribuendum. Meam esse culpam coram te, mi Deus, agnosco. Da mihi hoc sacramento melius in posterum utendi gratiam.

Punct. II.

Considera, quales animi dispositiones, ut remedium illud in te sit efficax, tibi sint necessariae.

Primum sincere velis sanari necesse est. „Vis sanus fieri?" Joann. 5, 6. Num sinceram habes voluntatem omnia faciendi, omnia conandi, omnia ferendi, omnia sacrificandi, ut superbia tua, ira tua, avaritia tua, sensualitas tua persanetur? Animo tuo ita non disposito, remedium, quod accepisti, nullam tibi afferet utilitatem.

Tum persuasum tibi habeas, in hoc sacramento te sanandi inesse virtutem. Hac enim animi dispositione Evangelii aegrotantium infirmitates curatae sunt, ut ex verbis saepe repetitis elucet: „Fides tua te salvum fecit." Matth. 9, 22.

Noli denique in te remedio illi opponere impedimenta, i. e. peccata et iniquitates.

Intra in illas animi dispositiones, et cave, ne tam efficax remedium in venenum mortiferum com-

mutes. Roga salvatorem, ut ipse illud vulneribus tuis imponat.

DIES XIV.

JESUS, CONSILIARIUS ET AMICUS NOSTER IN SS. EUCHARISTIA.

Ante missam.

Punct. I.

Considera, Isajam prophetam Jesu Christo nomen indere consiliarii, et Jesum velle in sanctissimo sacramento nostrum esse consiliarum. Si Israëlitae, quotiescumque minimae afferebantur dubitationes, Dominum ante arcam testamenti, symbolum tantum praesentiae ejus, consulebant: quanto magis nos Jesum Christum consulere debemus in ss. Eucharistia, ubi vere, realiter et substantialiter praesens est! Quantum consilii ejus et pro nobis et pro aliis in tot vitae nostrae casibus indigemus? Omnes in sacro ministerio defectus inde proveniunt, quod Dominum parum consulimus.

Propterea semper fidelissimum hunc consiliarum adi, quo neque sapientior, neque prudentior, neque utilitati tuae magis intentus potest inveniri. Ipse enim est fons omnis boni consilii. „Ego sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus; meum est con-

silium et aequitas, mea est prudentia.“ Prov. 8, 12.

O Jesu! ad te in dubitationibus meis confugio; esto consilium meum!

Punct. II.

Considera, divinum illum consiliarium duas, ut participes nos reddat consiliorum suorum, a nobis exigere conditiones, docilitatem et fidelitatem. Quamobrem opiniones tuas praejudicatas abjicere, judiciis tuis, voluntati propriae, tuis et mundi opinionibus renuntiare incipe, ut solius Jesu consilium audias et sequaris. Cum Salomone ignorantiam tuam agnosce et cum eo cor docile pete. „Ego sum puer parvulus et ignorans egressum et introitum meum. Et servus tuus in medio est populi, quem elegisti .... Dabis ergo servo tuo cor docile, ut possit discernere inter bonum et malum.“ III. Reg. 3, 7—9.

Post missam.

Punct. I.

Considera, Jesum in sanctissimo sacramento, quum tanta in nos sit familiaritate, et quidquid habet, quidquid est nobis communicet, amicum nostrum sese monstrare amantissimum. In omnes necessitates nostras intrat; omnes thesauros suos nobis offert; non ad nos tantam, sed in nos venit,

et tam intime sese nobis conjungit, ut quasi unum tantum nobiscum efficiat. Laetare igitur, anima mea, de felicitate, qua Jesum, verum et optimum amicum tuum possidens uteris. Loquere cum eo, quemadmodum cum amico bono loqui soles; noli quidquam ei celare; quidquid sentis, quidquid pateris, ei detege; in eo invenies consolationem tibi necessariam, et cum sponsa Canticorum dicere potes: Dilectus meus mihi, et ego illi." Cant. 2, 16.

Punct. II.

Considera, Jesum longe differre a ceteris amicis. Experientia doctus novisti, amico sincero, integro, fideli et constanti nihil esse rarius. Quot tales amicos, ex quo tempore hominum consuetudine uteris, jam invenisti? Nonne verum est, majorem partem falsos esse amicos, specie, ore et verbis tantum amantes; amicos faciles, adulantes et in defectibus nostris nos detinentes; amicos, quamdiu honoribus afficiuntur et utilitatem capiunt, addictos; amicos, quantum tempus fert et occasio, rebus secundis nos amantes, adversis despicientes. Quare talibus hominibus cor tuum deditum est? Quare non Jesum unicum et solum amicum eligis? An in necessitatibus tibi unquam defuit? An amicum meliorem invenies?

Te solum, mi Jesu, ab hac hora amabo, in te solo fiduciam meam ponam. „Inveni, quem

diligit anima mea; tenui eum nec dimittam." Cant. 3, 4.

DIES XV.

JESUS, VIÆ DUX ET PORTITOR NOSTER IN SS. EUCHARISTIA.

Ante missam.

Punct. I.

Considera, Jesum in terram descendisse, ut per totam vitae nostrae peregrinationem sit viae nostrae dux; et perpetuo illud facere in sanctissimo altaris sacramento. Quia ante nos coeli iter fecit, viam novit et optime eam nobis potest monstrare. Ideo saepe ad eum clama: „Notam fac mihi viam, in qua ambulem." Psalm. 142, 8. „Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui." Psalm. 180, 35.

Punct. II.

Considera, Jesum, ducem tuum, viam quoque esse, quam sequi debes. S. Thomae apostolo quaerenti: „Domine, quomodo possumus viam scire." salvator respondit: „Ego sum via; nemo venit ad patrem, nisi per me." Joann. 14, 5—6.

O viam sanctam et certam! Et quam leviter eam es hucusque secutus! Tuum est hanc viam inire et in ea perseverare. Instanter a Jesu hanc gratiam pete. Etenim non alia est, in qua ad salutem perveniamus. „Per me si quis introierit, salvabitur: et ingredietur et egredietur et pascua inveniet." Joann. 10, 9.

Post missam.

Punct. I.

Considera, Jesum in sanctissima Eucharistia quasi portitorem nostrum esse in via. Quamquam enim est gloriosus et immortalis, tamen in hoc sacramento vitam iter facientis renovare videtur, non modo unicuique nostrum applicans, quae pro omnibus fecit, docuit et passus est; sed etiam apud nos remanens, inter nos habitans, morbis laborantes nos visitans, necessitatibus pressos nos adjuvans. Nonne summo tibi est honori Jesum habere portitorem? Gratias ei age, et quoniam apud te habitare vult, maximo tibi esse debet gaudio, apud eum habitare; vide, ne te deserat, et saepenumero ei dic: „Ne derelinquas me, Domine, Deus meus; ne discesseris a me." Psalm. 37, 22.

Punct. II.

Considera, nos, quum Jesus sit dux et portitor noster, ad eum sequendum et fideliter vestigiis ejus insistendum esse obligatos. Et quid aliud est Jesum

sequi, nisi eum imitari? Quid aliud est vestigiis ejus insistere, nisi vivere, ut ipse vivebat vel viveret, si in eodem, quo nos, esset vitae statu? Quotidie Jesum viae ducem in cor nostrum recipimus, et alias tamen vias ingredimur, ei, in qua Jesus nos ducere vult, penitus oppositas! Nonne hoc eum irridere est? —

Ignosce mihi, divine Jesu, infidelitates meas praeteritas. Ab hodierna die „sequar te, quocunque ibis." Matth. 8, 19. „Domine, tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire." Luc. 22, 33.

DIES XVI.

JESUS, MEDIATOR NOSTER ET PAX NOSTRA IN SS. EUCHARISTIA.

Ante missam.

Punct. I.

Considera, Jesum fuisse mediatorem nostrum in cruce, et adhuc esse in coelis, et singulari quodam modo esse velle in sanctissimo sacramento. Quum Deus sit, ut Pater, et homo, ut nos, utriusque partes optime potest suscipere. Et totam peccatorum nostrorum magnitudinem gravitatemque cognoscit; necessitates nostras novit et preces audit; —

et Patri satisfactionem ipso dignam et infinitum honorem offert ejusque oculis necessitates nostras proponit.

Quanta felicitate utimur talem habentes mediatorum apud Deum infinitae majestatis, quem toties offendimus! „Si quis peccaverit, scribit s. Joannes, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum, justum." I. Joann. 2, 1.

Ideo plenus fiducia ad hunc divinum mediatorem recurre; talem te praebe, ut ex ejus intercesssione fructus capere possis; te ejus intentionibus conjunge.

Punct. II.

Considera, Jesum, quamquam solum inter Deum et homines mediatorem, quum solus nobis Deum possit reddere placabilem, tamen singulari quadam gratia nobis intercessionis et reconciliationis ministerium dedisse, ut ipsius loco, nomine et per merita ipsius mediatorum munere fungi continuaremus. „Dedit nobis ministerium reconciliationis." II. Cor. 5, 18. Quod ministerium quum in sacramento poenitentiae tum ad altare exercemus, ubi Patri coelesti Jesum Christum, unigenitum Filium, offerimus. Quantum ardorem, quantam sanctitatem et puritatem intercessoris ministerium a nobis exigit! Et quantum ab his virtutibus absumus!

Supple, divine Jesu, indignitatem meam; recon-

cilia me tuo Patri aeterno, antequam ad alios reconciliandos accedo. Mihi magis, quam populo, intercessione tua opus est, quia peccata mea majora sunt. Sine te quomodo remissionem eorum sperem? Dele, mi Deus, iniquitates meas, ut sacrificium, quod oblaturus sum, tibi sit acceptabile: ex toto corde meo eas detestor.

Post missam.

Punct. I.

Considera, Jesum omnipotentia sua mundo pacem dedisse datamque sanctissimo sacramento conservare, quod hanc ob causam a sanctis Patribus vocatur vinculum pacis, quo pax cum Deo, proximo et nobismet ipsis stabiliatur. Nunc beata hac pace delectaris: Jesus in medio corde tuo pacem tibi precatur: eandem tibi dat pacem, quam in coenaculo discipulis suis dedit dicens: „Pax vobis.“ Luc. 24, 36. Quid potest comparari cum felictitate animae, quae cum Deo suo pacem habet? Non est profecto donum pretiosius; hoc enim, ut dicit s. Paulus, omnem sensum exuperat. „Pax Dei, quae exuperat omnem sensum.“ Philipp. 4, 7. Propterea gaudio te dede et gratias age.

Punct. II.

Considera, tibi, quum pax donum sit tam pretiosum et excellens, summo studio id esse agendum, ut eam conserves. Quem in finem primum

necesse est peccata devites; etenim „non est pax impiis.“ Isaj. 48, 22. Tum voluntati Dei te totum subjicias in omnibus rebus; nam „quis restitit ei, et pacem habuit? Job. 9, 14. Deinde omnia officia tua cum fervore et fidelitate expleas. „Justitia et pax osculatae sunt.“ Psalm. 84, 11. Firmiter haec omnia perficere tibi propone.

Vere, Domine, pro omnibus in mundo rebus pacem, quam a te accepi, perdere nolim. Quidquid agere et ferre necesse erit, gratiae tuae auxilio adjutus eam usque ad mortem conservabo.

DIES XVII.

JESUS, ACTIONUN NOSTRARUM TESTIS ET JUDEX IN SS. EUCHARISTIA.

Ante missam.

Punct. I.

Considera, Jesum, quum Deus ubique praesens quidquid fit intra et extra nos videat, omnium actionum nostrarum esse testem. Singulari quodam modo testis est in sanctissimo sacramento, quia quotidie in ecclesiis nostris coram eo sumus, praeclarissimas perficimus actiones, quarum nobilissima in sancto missae sacrificio ad ejus personam per-

tinet. Videt igitur quae facimus et quomodo facimus; nunc testis est tuarum cogitationum et animae tuae status.

Elice de hac veritate fidei actum dicens: „Vivit Dominus Deus Israël, in conspectu sto.“ III. Reg. 17, 1.

Magne Deus! animae meae viscera perspicis: num bene praeparatus sum, ut ad te accedam? Num anima mea satis pura est? Nonne detegis, quod divinam praesentiam offendat? Quantum mihi est id timendi causae? Effice, ut ea, quae mihi occulta sunt, cognoscam et quidquid tibi displicet detester.

Punct. II.

Considera, majorem negligentiarum nostrarum partem inde provenire, quod Deum ubique esse et omnia videre non satis fortiter credimus. Quamobrem Jesus sub speciebus sacramentalibus sese sensibus nostris admovere voluit. Ah! num ex quo hoc mysterium possidemus, Dei praesentia altius in cor nostrum descendit? Num in ecclesia et ad altare majorem animi recollectionem et devotionem habemus? O quanta irreverentia, quanta immodestia, quot distractionibus laboramus sacro ministerio fungentes? Num ex eo, quo nos gerimus modo judicari possit, nos Jesum Christum realiter esse praesentem in sanctissimo sacramento credere?

Ab hac hora omnia, quae in Jesum eucharisticum

commisisti, peccata corrige; praepara animam tuam, ut majori cum reverentia, quam hucusque, eum recipias; etenim vir sapiens dicit: „Qui timent Dominum, praeparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas.“ Eccl. 2, 20.

Post missam.

Punct. I.

Considera, eundem Jesum, qui in fine temporum cum magna gloria veniet, judicare vivos et mortuos; qui in fine vitae aeternitatem nostram aut felicem aut infelicem decernet, in sanctissimo sacramento esse tamquam in tribunali, ubi quotidie, prout aut digne aut indigne eum recepimus, aut gratiae aut condemnationis sententiam dicit. „Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit.“ I. Cor. 11, 29.

Adora Jesum in sanctissimo sacramento, ut judicem tuum. „Ipse est, qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum.“ Act. 10, 42. Adora omnes hujus judicis perfectiones: omnipotentiam, sapientiam et justitiam, sententiamque treme, quam de omnibus missis dixit, quas, ex quo es sacerdos, celebrasti. Totum te ei trade cum propheta dicens: „In manibus tuis sortes meae.“ Psalm. 30, 16. Judicium earum tibi committo et quidquid de vita

mea, de fine meo et de aeternitate mea constituisti accipio.

Punct. II.

Considera, quanta sit Jesu, judicis tui, in sanctissimo sacramento bonitas. Omnem majestatis splendorem extinguit, ut faciliorem ad se tibi aditum concedat; omni temporis momento paratus est ad te audiendum et ad liberaliter tibi concedendum quidquid petieris. Quanta tibi felicitas, judicem habere tam bonum, tam facilem! Quam ob causam bene ea utere hoc gratiae et misericordiae tempore, antequam dies irae et ultionis venit. Quamdiu potes, eum placare intende. „Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum.“ Psalm. 6, 1. Puni me ut pater, non ut judex; puni me ad salutem, non ad condemnationem. Peccata mea infirmitates potius, quam contra majestatem tuam scelera habeas; propitius esto peccatori misericordiam tuam imploranti. „Deus, propitius esto mihi peccatori.“ Luc. 18, 13.

DIES XVIII.

JESUS, PRETIUM NOSTRUM ET MERCÈS NOSTRA IN SS. EUCHARISTIA.

Ante missam.

Punct. I.

Considera, quale sit animae tuae pretium et quanti dilectissimo tuo Jesu constiterit. „Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati.“ I. Petr. 1, 18. Quod animae tuae pretium quum in sanctissimo sacramento habeas, considera, quanti debeas aestimare hoc mysterium, quanta facere pro Deo, qui tanta pro te fecit. Nonne justum est, te totum ei te consecrare, ei soli servire, eum, quantum potes, glorificare et in corpore tuo, quod ejus est, reverenter portare? „Empti enim estis pretio magno: glorificate et portate Deum in corpore vestro.“ I. Cor. 6, 20.

Dispone, divine Jesu, de corpore et anima mea. Vis, ut tibi sint habitaculo et sanctuario; tibi ea offero, quia tua sunt; esto utriusque dominus in aeternum.

Punct. II.

Considera, pretio a Jesu pro nobis redimendis dato, quamquam infiniti valoris est et ad innumeros mundos salvandos nimis sufficit, tamen ea tantum

conditione, quod potest, effici, ut digno sacramentorum usu id nobis applicemus. Quantum nobis ad nos mundandos Jesu sanguis opus est? Quanta facere debemus, ut fructus ejus nobis convertamus? O quam pauci ejus laboribus et morte utuntur! Audi eum hac de re per Isajam prophetam querentem, et vide, ne de te quoque conqueratur: „In vacuum laboravi, sine causa, et vane fortitudinem meam consumpsi; ergo judicium meum cum Domino, et opus meum cum Deo meo." Is. 49, 4.

O Jesu! ne tantum pro me pereat pretium, tui pretiosi sanguinis virtute animam meam purifica.

Post missam.

Punct. I.

Considera, eundem Jesum, qui est in coelis angelorum et Sanctorum merces, tuam quoque esse in sanctissimo sacramento, ita tamen, ut, sanctis in coelis faciem ejus videntibus, tu eum sub mysticis sacramenti speciebus possideas. Quanta est Jesu Christi bonitas, qua in sanctissimo altaris sacramento mercedem nobis jam nunc impertiatur! Miles non coronatur, nisi fortiter pugnavit; mercenarius praemium non recipit, nisi laboravit: et Jesus nos jam nunc remuneratur. Metire gaudium, quo frueris in coelis, ubi Deum posidebis, deliciis, quibus nunc, quamquam eum imperfecte tantum,

latenter et mystice possidens, perfunderis. „Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini." Psalm. 83, 2—3.

O Jesu! utinam te toties in hoc mundo receptum in altero posideam in aeternum! „Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua; et Sancti tui benedicant tibi. Psalm. 144, 10.

Punct. II.

Considera, quanta sit Jesu Christi bonitas et liberalitas: quotidie se nobis donat, ut pro paucis operibus, quae pro eo facimus, nos remuneretur. Semel tantum per vitam nostram si eum reciperemus, infinito recepissemus plus quam meremur; et quotidie, quotiescunque sanctum sacrificium offerimus, nostram dat mercedem. Quanto igitur ardere debemus ei serviendi fervore! At quam tepidi sumus et tardi! Vix facimus ea, ad quae sumus obligati! Quantum est, quod pudore erubescamus! „Da Altissimo secundum datum ejus, et in bono oculo adinventionem facito manuum tuarum; quoniam Dominus retribuens est, et septies tantum reddet tibi." Eccl. 35, 12.

DIES XIX.

JESU VITA ET MORS IN SS. EUCHARISTIA.

Ante missam.

Punct. I.

Considera, Jesum in sanctissimo sacramento eodem modo vivere, quo vixit in terra et nunc vivit in coelo. Quoniam vita in agendo constat, perpetuo in hoc amoris sui mysterio agit. Et pro se et pro nobis in eo plus laudis et adorationis Patri suo offert, quam omnes simul angeli et Sancti unquam obtulerunt vel offerent. In eo de nobis cogitat, pro nobis orat, et plus gratiarum nobis tribuit, quam meremur, ita ut de semet ipso in sanctissimo sacramento dicere possit, quod dixit in vita sua terrestri: „Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem.“ Joann. 6, 58.

O quam sancta est Jesu Christi in hoc mirabili sacramento vita! Quantopere desiderare debemus, ut, quum ad vitam Jesu Christi in terra continuandam facti simus sacerdotes, nostra vitae Jesu Christi aliquam habeat conformitatem!

Da mihi, o Jesu, gratiam, omnem aliam vitam, sensuum, cupiditatum, naturae, rationis in me mortificandi, ut tantum de fidei vita, de tua divina vita vivam.

Punct. II.

Considera, Jesum, quem s. Joannes vitam aeternam esse dicit, quae erat in Patre, et in humanitate ejus, mortali vita velante, est manifestata, in sanctissimo sacramento fontem esse vitae gratiae, quae animis infunditur. „Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.“ Joann. 1, 14.

Accede igitur ad hunc fontem superabundantem, ut illa gratiae et virtutum vita replearis, cujus tantopere indiges. Excita in te justitiae famem salutarem et sitim urentem, ut satieris. Cum muliere Samaritana dic: „Domine! da mihi hanc aquam, ut non sitiam.“ Joann. 4, 15.

Post missam.

Punct. I.

Considera, Jesum, qui per se vivit et in Eucharistia nobis est fons vitae, in ea sub inanimatis hujus sacramenti speciebus in statum mortis mysticae sese reduxisse, ut Patrem majoribus efferret honoribus nobisque ardentiorem praestaret amorem. Quamobrem Paulo justius dicere potest: „Quotidie morior.“ I. Cor. 15, 31.

Pro te modo super altari mortuus est: quid facies, ut gratum te ei exhibeas? Si haberes mille vitas, nonne ad omnes ei libenter sacrificandas debebas esse paratus? Ita saltem animus tuus sit dispositus, ut totam tuam ad ei serviendum dedas,

et, quotiescunque occasio ferat, pro ejus honore et proximi salute velis offerre.

Non sum dignus, o mi Jesu, qui, ut tot Sancti, pro te martyrium subeam; sed id statutum habeo, ut omnia propter te feram. „Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo. Mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum." Philipp. 1, 21, 23.

Punct. II.

Considera, Jesum in hunc mysticae mortis statum descendisse, ut exemplo te doceat ita vivere, quasi mortuus esses i. e., a mundo, a temet ipso abstractus, omnibus creaturis mortificatus. Ita, quotiescunque ad sacram mensam accesseris, mortem Domini annuntiabis. „Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat." I. Cor. 11, 26.

O quam longe abes ab hoc mortis statu, in quo esse debes! Memineris, quaeso, illius verbi, quod dilectissimus noster salvator dixit: „Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert." Joann. 12, 24, 25.

Largire mihi, o Jesu, gratiam, qua adjutus mundo et mihimet ipsi moriar, oculos habeam et non videam; aures habeam et non audiam; morti-

ficatione omnes sensus meos et cupiditates destruam; tuo mysticae mortis statui me conformem.

DIES XX.

JESUS, CIBUS NOSTER ET GRATIA NOSTRA IN SS. EUCHARISTIA.

Ante missam.

Punct. I.

Considera, Jesum in Eucharistia cibum nostrum esse velle, ut divinam vitam nobis datam sustentet et conservet. Nam Spiritus sanctus nobis est infusus, ut in nobis habitaret et animae nostrae vita esset. Deus vero non potest conservari, nisi per Deum; Deus enim de semet ipso solo sese potest nutrire; quem in finem, Jesus, ut dicit in Evangelio s. Joannis, venit „Ut vitam habeant et abundantius habeant.“ Joann. 10, 10. i. e. venit in mundum, ut primam vitam nobis per remissionem peccatorum tribueret, et adhuc in sanctissimo sacramento in nos venit, ut vitam illam in nobis conservet atque augeat.

O sapientia Jesu, o bonitas Jesu, quae tam admirabili modo animae nostrae nutrimentum praebet! Quanta diligentia hoc sacrum debeo accipere alimentum ab apostolo admonitus dicente: „Probet

autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat." I. Cor. 11, 28.

Punct. II.

Considera, hoc divino cibo digne percepto eximia quaedam in anima nostra effici. Primum nos intime cum Jesu conjungit, qui ipse dixit: „Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, manet in me, et ego in illo." Joann. 6, 57. Deinde in nobis vitam gratiae spiritualem conservat et auget. Tum concupiscentiam debilitat et divinarum rerum gustum largitur.

Considera, utrum panis ille coelestis haec in te effecerit. Fortasse hucusque nullam ex eo percepisti utilitatem. Si sic se res habeat, tibi persuadeas, te illum sine justa praeparatione, sine vero desiderio et cum peccati alicujus inclinatione percepisse.

Noli permittere, mi Deus, ut in hoc malum incidam; da, ut, quo saepius panem illum manducem, eo magis in me augeantur gratiae atque virtutes. Eum hodie tanto a te peto ardore, quanto homo fame confectus quaerit alimenta. „Panem nostrum quotidianum da nobis hodie." Luc. 11, 3.

Post missam.

Punct. I.

Considera, quae sit sanctissimae Eucharistiae et ceterorum sacramentorum differentia. Haec enim

accidentales tantum gratias, primae gratiae emanationes et effussiones continent; Eucharistia gratiam substantialem, auctorem et plenitudinem omnium gratiarum, Jesum Christum, Dominum nostrum, verum Deum et verum hominem. „In ipso, dicit s. Paulus, inhabitat plenitudo Divinitatis corporaliter." Col. 2, 9. i. e. substantialiter, non figuraliter neque per inhabitationem tantum gratiae.

O te felicissimum, qui gratiae auctorem vere, realiter et substantialiter possideas! Offer ei verecundiam et adorationem tuam; roga eum, ut te sanctificet, ut tibi omnes gratias largiatur, quas status tui sanctitas et necessitates tuae exigunt.

Punct. II.

Considera, te, Jesu, gratiae auctore recepto, fontem omnium gratiarum recepisse, quae apostolis, martyribus, confessoribus, virginibus, sanctis sacerdotibus et poenitentibus sunt tributae, ita ut omnes illas gratias in Jesu Christo possideas. O permagnam divitiarum plenitudinem! Quare tam parvam inde percepi utilitatem? Quare non habeo apostolorum fervorem, martyrum patientiam et fortitudinem, confessorum fidem, virginum castitatem, sanctorum sacerdotum pietatem, piorum poenitentium mortificationem, quum toties omnium virtutum illarum auctorem et fontem recipiam?

Ah! Domine! „anima mea sicut terra sine aqua tibi." Psalm. 142, 6. O quantum

debeo confundi et erubescere! mea enim est culpa. Exemplum Sanctorum tuorum, qui gratiae tuae melius respondebant, me condemnat. Attamen quanto majore virtutum inopia laboro, tanto magis gratiae tuae indigeo. Utinam „sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea; et labiis exultationis laudabit os meum.“ Psalm. 62, 6.

DIES XXI.

JESUS, REFUGIUM NOSTRUM ET SPES NOSTRA IN SS. EUCHARISTIA.

Ante missam.

Punct. I.

Considera, Jesum in sanctissimo sacramento nostrum esse refugium. Quemadmodum enim Deus in vetere testamento inter Israëlitas urbes constituit, ubi, crimine aliquo commisso, confugerent, ut ab inimicis tuti essent; ita Jesus in novo testamento hoc sacramentum instituit, ut contra multos istos hostes, qui nos circumdant, refugium haberemus.

Vere, Domine, refugium meum es in tribulationibus, quae me circumdant. „Esto mihi in Deum protectorem et in domum refugii, ut salvum me facias.“ Psalm. 30, 3. Sine te inimici mei: mundus, caro, diabolus me

debilem vincent; tuo autem auxilio firmatus cuncta sperare audeo: „In te eripiar a tentatione." Psalm. 17, 30.

Punct. II.

Considera, Jesum in sanctissimo sacramento, quum Patrem sanguine oblato placabilem reddat et in hoc statu mystico semper pro nobis intercedat, ab ira ejus nostrum esse refugium. „Petra refugium herinaciis." Psalm. 103, 18. Jesus, petra, refugium est hominum peccatis coopertorum. Quam felices sumus tam tutum habentes refugium! Ideo confidenter ad eum properemus; intra vulnera ejus nos abscondamus; sine ullo timore quamvis magni peccatores, ad eum accedamus, tam suaviter nos invitantem: „Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos." Matth. 11, 28.

Ad quem alium, nisi ad te, mi divine salvator, confugiam?

Post missam.

Punct. I.

Considera, Jesum in Eucharistia, quum sit fons omnium bonorum et naturae et gratiae et gloriae, spem nostram esse unicam. Sine ejus meritis nihil possumus obtinere. Ipse, qui promisit et in promissionibus est infinite fidelis, nos adjuvare et vult et potest. Quae unquam creatura majora aut plura tibi potest praebere commoda? In quo alio secu-

rius spem tuam pones? Quare carnali tamen brachio inniteris? Quid tibi hucusque omnes spes humanae profuerunt? Quid expectas a mundo? quid a principibus? quid ab amicis tuis? Nonne omnia nos in hac vita deserent? Quanto igitur melius est in Domino ponere fiduciam, quam in hominibus. „Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine. Psalm. 117, 8.

In te solo, divine Jesu, spem meam collocabo et pro tempore et pro aeternitate. In omnibus vitae meae rebus et casibus in te solo confidam.

Punct. II.

Considera, Jesum in sanctissimo sacramento, quamvis spes nostra sit, tamen velle, ut omnia, quae possumus, ad ejus protectionem merendam faciamus; ut officia nostra fideliter expleamus; ut eum rogemus; ut, postquam, quantum potuimus, fecimus, nos esse servos inutiles confiteamur. Aliter spes nostra esset vana et irrita. „Spera in Domino, et fac bonitatem, et inhabita terram, et pasceris in divitiis ejus.“ Psalm. 36, 3.

Gratias age Domino pro omnibus bonis, quae tibi largitus est; omnia ab eo spera, quae tibi promisit, et firmiter tibi propone, ut gratia ejus adjutus omnia, quae te ejus benignitate dignum reddant, sis conaturus.

DIES XXII.

JESUS, THESAURUS NOSTER ET BEATITUDO NOSTRA IN SS. EUCHARISTIA.

Ante missam.

Punct. I.

Considera, Jesum in Eucharistia vere esse thesaurum illum in agro ecclesiae absconditum, de quo sancti Matthaei evangelium agit, quia, quamquam nihil aliud, nisi panis et vini species videmus, tamen in eo insunt omnes Divinitatis perfectiones, adorandae Jesu Christi humanitatis omnes virtutes, omnia merita, omnes gratiarum divitiae, omnia Spiritus sancti dona. Si de hac veritate tibi persuasum fuerit, nihil erit, quod non sacrifices, ut pretiosum illum thesaurum obtineas, sicut fecit homo ille in evangelio, qui libenter omnia sua vendidit, ut agrum, in quo thesaurum absconditum invenerat, emeret.

Talis erat s. Pauli dispositio, quam tu quoque habeas et cum eo dicas: „Omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.“ Philipp. 3, 8.

Punct. II.

Considera, quantum sit hominis gaudium, qui thesaurum invenit; quanto ardore eum auferat; quanta diligentia abscondat; quantum timeat, ne amittat; quantum eo sit occupatus. „Ubi enim

est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum." Matth. 6, 21.

Examina te, utrum cor tuum sit in sanctissimo sacramento, ubi est Jesus, maximus tuus thesaurus; utrum saepe de eo cogites; utrum aliud quidquam desideres. Quantum frigus! Quanta negligentia! Cor tuum est fortasse in mundo, in voluptatibus, in honoribus, in divitiis. Nihil aliud spectas, nisi, ut bona caduca, quae a furibus auferuntur, tibi colligas. Quanta stultitia! Quaere, quaeso, unice infinitum illum thesaurum, qui nec augeri nec minui potest, „thesaurum non deficientem in coelis," Luc. 12, 33, Jesum Christum. Cum sancto martyre Ignatio dicas: „Tantum Christo fruar; omnia cetera nihil valent. Te solum, mi Jesu, te solum desidero."

Post missam.

Punct. I.

Considera, in sancta missa eundem Jesum a te esse receptum, qui cum Patre et Spiritu sancto tota est in coelis angelorum et Electorum beatitudo; qui aspectu divinitatis suae animas, aspectu humanitatis corpora beatificat. Est igitur tota nostra felicitas, quia nostram beatitudinem substantialem et accidentalem efficit. Jam te fac participem angelorum et Sanctorum gaudii, quorum devotioni, adorationi, amori et gratiarum actionibus te conjungas. „Laudate Dominum de coelis;

laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes angeli ejus; laudate eum, omnes virtutes ejus.“ Psalm. 148, 1. 2.

Punct. II.

Considera, Jesum in Eucharistia nostram esse beatitudinem non modo aeternitate, sed etiam tempore, quia nos ab omnibus malis liberat et omnia nobis bona largitur. Ipse solus omnia cordis nostri desideria replere potest. Agnosce mundanorum errorem, qui in terrae bonis et voluptatibus beatitudinem ponunt. „Beatum dixerunt populum, cui haec sunt.“ Psalm, 143, 15. Eum enim, qui magna bona possideat. qui ad magnos honores sit exaltatus, qui corporis voluptatibus delectetur, felicem putantes valde errant. „Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.“ Psalm. 143, 15.

Laetare de tanta felicitate eamque cum majori diligentia, quam omnes terrae thesauros, conserva.

DIES XXIII.

JESUS, GLORIA NOSTRA ET GAUDIUM NOSTRUM IN SS. EUCHARISTIA.

Ante missam.

Punct. I.

Considera, nos ex nobismet ipsis non habere, unde gloriemur, quia nihil sumus, nihil possidemus, nihil

scimus, nihil possumus. „Pro me, dicit s. Paulus, nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis.“ II. Cor. 12, 5. Sed quantum est, quod nos propter nos humiliemus, tantum gloriari debemus in Jesu. „Gloriamur in Christo Jesu.“ Philipp. 3, 3. Ille enim est, per quem sumus, quod sumus, et a quo omnia accepimus. „Quia ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus ejus.“ Psalm. 94, 7. Ille caput nostrum est, nos membra; ille pontifex, nos ministri; ille infinite magnus, in universa terra adoratus, reges ante eum procumbunt; et nos eum vicinum nobis habemus.

Vere, „tu Domine, gloria mea.“ Psalm. 3, 4. Extra te nihil invenio, nisi contemptibilia et abjecta. Quanto honore utor, qui minister tuus ad altare tuum accedam? —

Punct. II.

Considera, Jesum gloriam nostram esse non modo in Divinitatis splendore, in excellentissimis ejus qualitatibus, in miraculis, in hostium victoria, in gloriosis mysteriis, sed etiam in humanitatis ejus humiliationibus, in paupertate, in miseriis, quibus sese subjecit; in contumelia et turpitudine, qua est affectus, in passione et morte crucis, quam pro nobis tulit. Ideo nos quoque cum s. Paulo clamemus: „Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.“ Gal. 6, 14. Ex humiliationibus enim dilectissimi nostri re-

demptoris et ejus et nostra profecta est gloria. Gloriemur et nos propter Jesum Christum despectionem, contradictiones, paupertatem et omnia alia vitae nostrae mala ferre. Animis ita dispositis altare ascendamus.

Post missam.

Punct. I.

Considera, Jesum, omnem nostram in Eucharistia gloriam, etiam omne nostrum esse gaudium. Idem enim est, de cujus adventu futuro patriarchae et prophetae laetabantur, ut ipse Judaeis dixit: „Abraham, pater vester, exultavit, ut videret diem meum; vidit et gavisus est." Joann. 8, 56. Idem est, de cujus incarnatione B. Virgo Maria exultavit; idem est, cujus nativitatem angeli ut magnum gaudium annuntiaverunt; idem est, quem apostoli tanto gaudio viderunt a mortuis resuscitatum. Tu quoque, eum in corde tuo habens, communi illo perfruere gaudio. Deliciae ejus sunt esse tecum; tuae sint esse cum eo.

O mi Jesu! tu es unicum super terra gaudium meum. „Melior est dies una in atriis tuis super millia." Psalm. 83, 11. Saeculi gaudia sunt vana, caduca, criminosa, scelesta; quae tu, mi Deus, nobis largiris, vera sunt et sancta et firma. „Laetabor et exultabo in te." Psalm. 9, 3.

Punct. II.

Considera, Jesum in Eucharistia gaudium nostrum esse propter spem eum possidendi in coelis. „Spe gaudentes." Rom. 12, 12. Quantum nunc est Sanctorum in coelis gaudium, qui hac beatitudine utuntur, qui de torrentibus incredibilium deliciarum inebriantur! Quale erit nostrum quoque gaudium, quando ab hoc mortis corpore liberati faciem Dei nostri aspiciemus!

Num de eo jam nunc laetamur? Num spes illa hujus gaudii in omnibus miseriis et tribulationibus nostris nos consolatur? Num fervorem et ardorem nostrum inflammat? Ita Jesus apostolos saepe consolabatur: „Tristitia vestra vertetur in gaudium." Joann. 16. 20. Ideo laetemur et ad monstrandam nostram laetitiam dicamus: „Merces nostra copiosa est in coelis." Matth. 5, 12.

Saepenumero illud cogita; divinam illam spem, cujus pignus in corde tuo habes, excita.

Esto, mi Jesu, in coelis aliquando gaudium meum, quale es mihi super terra.

DIES XXIV.

JESUS, HÆREDITAS NOSTRA ET OMNIA NOSTRA IN SS. EUCHARISTIA.

Ante missam.

Punct I.

Considera, Jesum, si Deus in vetere testamento ministrorum suorum haereditatem sese vocavit: „Ego sum pars et haereditas tua.“ Num. 18, 20. eo magis nostram quoque esse haereditatem, quia nos sanctius, quam Israëlitae, cum eo junximus foedus. Tonsuram recipientes solemniter eum haereditatem nostram elegimus dicentes: „Dominus est pars haerditatis meae et calicis mei; tu es, qui restitues haereditatem meam mihi.“ Psalm. 15, 5. O haereditatem praeclaram et excellentem! „Funes ceciderunt mihi in praeclaris; etenim haereditas mea praeclara est mihi.“ Ib. 6. Qualem bonorum abundantiam ex ea hucusque collegimus? Quot in posterum possumus expectare?

Pluris igitur, quam omnia terrae bona, haereditatem illam aestimemus, maximam laetitiam ejus possessio nos afferat; id solum agamus, ut bene ea utamur. Quo magis vires intenderimus, eo ampliores gratias recipiemus.

Punct. II.

Considera, Jesum, quemadmodum Deus in vetere testamento tum demum sese servorum suorum haereditatem promisit, postquam eos ad renuntiandum omni terrae Israëlitarum participationi obligavit: „In terra eorum nihil possidebitis nec habebitis partem inter eos. „Num. 18, 20. — Jesum nostram quoque non posse esse haereditatem, nisi corde saltem et affectionibus mundo ejusque vanitatibus renuntiaverimus. Quomodo enim haereditas tam sacra cum haereditate profana, cui animus adhaereret, posset conjungi? —

Jam inquire, quid de bonis terrestribus sentias. Nonne nimis eis occupatus es? Num iis, quae necessaria sunt, contentus es? Nonne aliis te ditioribus invides? Nonne possides, cui cor tuum nimis inclinet? Num paratus esses ad omnia tua Jesu sacrificanda? — „Quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum." Psalm. 72, 25—26.

Post missam.

Punct. I.

Considera, Jesum in sanctissimo sacramento omnia nostra esse, et quia Deus, quum pro nobis Filium suum dederit, „cum illo omnia nobis donavit," Rom. 8, 31. et quia Jesus nobis in omnibus necessitatibus nostris sufficit, et solus nobis

post mortem restat. Jesum igitur si possides, omnia habes; sin autem eum non possides, etiamsi universum mundum possideres, nihil habes. Extra eum nil nisi vanitas. „Vanitas vanitatum et omnia vanitas.“ Eccl. 12, 8.

Jesu, in quo sunt omnia tua, devotionem tuam offer; laetare, quod eum possides, et quidquid cogitas, quidquid desideras, quidquid loqueris, quidquid agis, — te totum et omnia vitae tuae momenta ei sacrifica.

Punct. II.

Considera, te, cum Jesus sit omnia tua, nihil aliud quaerere, nihil aliud amare debere, nisi eum solum, et omnia extra eum contemnere; id solum summo studio agere, ut ei placeas, ut ejus gratiam conserves, ut quidquid ad eum in aeternum possidendum est necessarium facias. Nam „quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur.“ Matth. 16, 26.

Tu solus, o mi Jesu, esto in aeternum omnes divitiae meae, unicum bonum meum, unica consolatio mea, unica spes mea, gaudium meum et amor meus. Omnia alia nihil sunt ante me: Deus meus et omnia!

DIES XXV.

JESUS IN SS. EUCHARISTIA DONUM EST A DEO HOMINIBUS DATUM ET AB HOMINIBUS DEO OFFERENDUM.

Ante missam.

Punct. I.

Considera, Deum Jesu in Eucharistia donum pretiosius hominibus neque impertivisse neque posse impertire. Est enim Filius ejus unigenitus, in quo ei bene complacet, figura substantiae ejus, splendor gloriae, verbum in omnibus ejus simile, cum eo unus solus Deus.

Si scires, anima mea, hoc donum Dei, ejus pretium infinitum, excellentiam, necessitatem et omnia, quae in eo sunt, bona, „si scires donum Dei.“ Joann. 4, 10; quanto ejus accipiendi arderes desiderio? „Domine! adauge nobis fidem.“ Luc. 17, 5, ut te talem, qualis es, cognoscentes omni reverentia; puritate et amore, quo debemus, te recipiamus.

Punct. II.

Considera, Jesum in variis mysteriis hominibus a Deo Patre esse datum, totam autem ejus mysteriorum, meritorum et perfectionum plenitudinem nobis donatam esse in sola Eucharistia. Jesu infantia vitae ejus meritum nondum consummavit;

vita mortis meritum nondum perfecit; mors novae ejus vitae neque dignitatem neque potentiam neque thesauros habuit; resurrectio et ascensio eum in Deum reduxisse et hominibus abstulisse videtur: in Eucharistia autem, sine ulla ejus cum Deo conjunctionis aut majestatis aut novae vitae deminutione, cum plenitudine omnium ejus statuum ac mysteriorum datus est hominibus.

O Dei mei sapientiam, amorem et magnificentiam! propter ineffabile illud donum in aeternum sis laudatus ac glorificatus! „Gratias Deo super enarrabili dono ejus." II. Cor. 9, 15. Quoties, Domine, hoc mihi donum dedisti! Hodie iterum illud mihi vis impertire, mihi, qui eo sum tam indignus, qui tam parvam inde percipio utilitatem, qui quotidie te offendo. Quantum est, quod cum s. apostolo dicam: „Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia." Rom. 5, 20.

Post missam.

Punct. I.

Considera, Jesum in Eucharistia unicum donum esse, quod Deo dignum homines ei possint offerre, quia omne aliud donum, non infinitum aut imperfectum, Dei sanctitate, magnitudine et perfectionibus multo inferius est. Omnes nostrae cogitationes, omnia verba, omnes actiones, omnis amor, omnia bona, et vita ipsa non sunt dona satis pura et praeclara, quae sola Deo possint offerri. Placuit

autem ei nobis donare Filium, in omnibus ipsius similem, quem ei ad reddendum omnem, quem debemus, honorem, devotionem et amorem offeramus.

Gratias ei age, quia tibi dedit, quo tam facile omnia in eum officia posses explere; et quoniam nunc unigenitum ejus Filium habes in corde tuo, eum offer Deo Patri et gratiarum actionis hostiam. „Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo." Hebr. 13, 15.

Punct. II.

Considera, Jesum, quum totus in Eucharistia ab aeterno Patre nobis sit datus, totum se nobis et usui nostro dare, ita ut eum pro omnibus necessitatibus nostris Patri aeterno possimus offerre. Per Jesum ad Deum nos exaltare, Deum adorare, laudare, invocare, placare, amare eique gratias agere possumus, quia est nostra laus, gratiarum actio, pax et amor noster, et quia Deus omnia haec officia a nobis non accipit, nisi in quantum Filio ejus sumus conjuncti.

Adoro te, mi Deus, gratias tibi ago, amo te, imploro te, me tibi offero cum Jesu, per Jesum et in Jesu, eodem modo, quo Ecclesia in sancto missae sacrificio: „Per ipsum et cum ipso et in ipso est tibi, Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus sancti, omnis honor et gloria, per omnia saecula

saeculorum; eodem modo, quo angeli et Sancti in coelis: „In conspectu Agni .... adoraverunt Deum dicentes: Amen. Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus et fortitudo Deo nostro in saecula saeculorum, Amen. Apoc. 7, 11, 12.

DIES XXVI.

JESUS, FINIS NOSTER ET EXEMPLAR NOSTRUM IN SS. EUCHARISTIA.

Ante missam.

Punct. I.

Considera, Jesum in Eucharistia ultimum esse finem nostrum, et quoniam omnes creaturae insitum atque innatum habent ardorem finis appetendi, in quo summam, quam possunt, inveniant tranquillitatem, pacem et felicitatem: nos quoque vehementissimo ardere debemus desiderio, Jesum, finem nostrum, in hoc divino sacramento adeundi, ut pacem, consolationem et beatitudinem inveniamus. Attamen quanto frigore torpemus? quanta lentitudine laboramus? Nonne hoc inde proficiscitur, quod Jesum ultimum nostrum finem non agnoscimus, quod in Jesum Christum non credimus?

„Notum fac mihi, Domine, finem meum," Psalm. 38, 5; ut ad te solum suspirem et vere clamare possim cum propheta tua: „Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum: quando veniam et apparebo ante faciem Dei?" Psalm. 41, 2, 3.

Punct. II.

Considera, Jesum, quemadmodum Eucharistia finis est omnium reliquorum sacramentorum, quae ad id solum sunt instituta, ut nos ad eam praeparent; ita in hoc sacramento omnium nostrarum cogitationum, verborum et operum nostrorum finem esse debere, ita ut nihil faciamus, nihil loquamur, nihil cogitemus, quod nos ad quotidie eum super altari offerendum et recipiendum non praeparet, secundum illud a s. Paulo dictum: „Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi facite." Col. 3, 17. Talis vita perpetua esset ad missae sacrificium praeparatio. Sed quam ab hoc exercitio sumus alieni! Omnia fere opera nostra pro mundo, vel saltem animo ad Jesum non converso facimus.

Ab hac hora, o Jesu, omnia pro te faciam; tu solus sis omnium operum, studiorum et laborum meorum finis.

Post missam.

Punct. I.

Considera, Jesum in Eucharistia esse illud omnium virtutum exemplar, quod Pater coelestis nobis ad imitandum proponit. Nulla enim omnino est virtus, de qua non dicere possit, quod de lenitate et humilitate dixit: „Discite a me, quia mitis sum et humilis corde." Matth. 11, 29. Discite a me in hoc me non modo esse mitem et humilem, sed etiam patientem, amantem et obedientem.

Consule divinum illud exemplar, dum id in corde tuo habes; intuere; ejus perfectionem et sanctitatem admirare; te humilia, quod ejus es tam dissimilis, et imitari stude. Ad quid aliud enim tibi exemplum dedit, nisi ut id imiteris? „Exemplum enim dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. Joann. 13, 15.

Punct. II.

Considera, Jesum in Eucharistia nobis virtutes, quibus ornati esse debemus, non modo monstrare, sed etiam eas consequendi et exercendi concedere gratiam ac fortitudinem. Et in hunc finem modo sese tibi donavit.

Quantam, o mi Jesu, tibi debeo gratiarum actionem! Sine auxilio gratiae tuae quid facere possem? Sed quotidie te ad altare repraesentans tui multo similior esse debebam. Postulas, ut, qui tibi serviat, te sequatur. „Qui mihi mini-

strat, me sequatur." Joann. 12, 26. „Trahe me: post te curremus in odorem unquentorum tuorum." Cant. 1, 3.

DIES XXVII.

OMNIPOTENTIA ET SAPIENTIA JESU CHRISTI IN SS. EUCHARISTIA.

Ante missam.

Punct. I.

Considera, Jesum in hoc sacramento monstrare suam potestatem neque nihili, ut in creatione mundi, neque pulveris aut cineris, ut in resurrectione a mortuis, neque coeli neque terrae neque elementorum, ut in reliquis miraculis, sed corporis sui gloriosi et immortalis et cum divinitate conjuncti, quod super hac terra sine ullo splendore, sub inanimatis speciebus retinet. Hoc corpus Dei est: in coelis esse debet; gloriosum est: splendore debet esse circumfusum; immortale est: vivum et activum debet apparere. Attamen Jesus mirabili quodam omnipotentiae et in nos amoris effectu illud in tabernaculis nostris inclusum et sub sacramenti speciebus velatum esse vult. Admirare et agnosce Jesu in hoc mysterio omnipotentiam. Divine Jesu! „Tibi subest, cum volueris, posse."

Sap. 12, 18. Quia vero pro me facis impossibilia, nonne et ego pro te difficillima saltem facere debeo? Et tamen vix facillima subeo exercitia, vix in minimis rebus me vinco.

Humiliare sub omnipotenti Dei manu eumque roga, ut per virtutem gratiae libidines et cupiditates tuas coërceat.

Punct. II.

Considera, Jesu omnipotentiam ex hoc mysterio magis elucere, quod omnia ejus miracula non ipse, ut in coena sacra, sed per sacerdotes, homines infirmos et mortales, peccatores, quin adeo magnos peccatores patrat, quibus potestatem suam tradidit, eorum neque pietati neque meritis neque fidei, sed ordini inhaerentem, ita ut omni tempore, omni loco panem et vinum possent consecrare, et ad eorum vocem, super altari, sub utraque specie, ne uno quidem temporis momento interjecto, se praesentem redderet.

Lauda Dominum, „qui dedit talem potestatem hominibus.“ Matth. 9, 8, praesertim tibi, qui ea tam indignus es. Recogita, quomodo ea hucusque usus sis, et vide, ne illa abutaris. Nam „Omni, cui multum datum est, multum quaeretur ab eo.“ Luc. 12, 48.

Post missam.

Punct. I.

Considera, Jesu sapientiam ex ejus incarnatione

maxime elucere. Etenim neque Deus pati neque homo infinitam pro peccatis nostris satisfactionem reddere potuit. Ideo humanam naturam assumpsit, ut perfecte posset satisfacere ut Deus et vere pati ut homo. Eadem sapientia et ex Eucharistia elucet. Si talem, qualis est, sese nobis cibum praebuisset, quis ausus fuisset eum recipere? Si solum panem nobis dedisset, quid animae nostrae profuisset? Quare sese sub panis et vini speciebus abscondit, ut nos carne et sanguine suo nutriat.

Divine Jesu! „Omnia in sápientia fecisti." Psalm. 103, 24. Nunquam autem sapientia tua mirabilior apparuit, quam in hoc modo, quem, ut hominibus te donares, invenisti. O quare ego non desiderio ardeo inveniendi, quo te honorem et amem, ego, qui sum tam assiduus et laboriosus, quando de mea utilitate agitur? „Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam. Mitte illam de coelis sanctis tuis et a sede magnitudinis tuae, ut mecum sit et mecum laboret." Sap. 9, 4, 10.

Punct. II.

Considera, quod Jesus, si nobis sese dedisset in omni, qua circumfusus est, majestate, animis timorem injecisset, multique terrore perterriti ad eum accedere ausi non fuissent. Ideo infinita ejus sapientia modum invenit, quo cor nostrum non

perterrens, intime nobis sese conjungat. Instituit enim sanctissimam Eucharistiam, in qua eum summa suavitate et facilitate recipiamus. Quam juste hac de causa vir sapiens, „Sapientia Dei“, inquit, „attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter.“ Sap. 8, 1.

Gratias age Domino, quod tam facilem ad se concessit aditum. Sed ejus bonitas ne minuat timorem et reverentiam, quam ei debes. „Servite Domino in timore; et exultate ei cum tremore.“ Psalm. 2, 11.

DIES XXVIII.

BONITAS ET AMOR JESU IN SS. EUCHARISTIA.

Ante missam.

Punct. I.

Considera, Jesum in tribus diversis ordinibus hominibus sese communicasse. Nam in ordine naturae per creationem eos essentiae suae reddit participes; in ordine gratiae per sanctificationem sanctitatis suae imaginem iis imprimit; in ordine gloriae Beatos in divina sua claritate perficit. Sed novum ordinem nobis singulari modo sese communicandi invenit. Semetipsum enim dat, fontem omnium bonorum et perfectionum, in Eucharistia.

O quam bonus es, divine Jesu! „Bonus es tu.“ Psalm. 118, 68. Quis sum ego? Quid feci, cui te totum cum divinitate et humanitate tua dare velis? Minima gratiarum tuarum, unus oculorum tuorum aspectus mihi esset bonitatis excessus; cum muliere Cananaea beatum me dicerem mensae tuae micas recipientem. Quomodo tuam erga me bonitatem digne admirari et laudare potero? Confundor et erubesco, mi Deus, et indignum ea me agnosco.

Punct. II.

Considera, Jesum, quamquam in omnes homines, quum eos ad bonum excitet et a malo retineat, sine ulla personae exceptione benignus est, singulari tamen modo sese iis communicare, qui in ipsum sperant eumque quaerunt. „Bonus est Dominus sperantibus in eum, animae quaerenti illum.“ Thren. 3. 25. Bonis bonus est; quanto magis nosmet ipsos ei damus, tanto magis ille se nobis dat. Itaque ei cor tuum aperi, ut bonitatem suam super eo effundat; exinani illud, ut illo repleatur; totum te ei dona, ut totum se tibi donet.

Post missam.

Punct. I.

Considera, Deum sic dilexisse mundum, ut Filium suum unigenitum daret; eundem Filium sic nos dilexisse, ut unicuique nostrum se dare vellet. Id quod facere vult neque propter merita nostra

aut bonas qualitates nostras, neque propter suam ipsius utilitatem, sed solo in nos amore commotus, qui tantus est, ut percipi non possit, et toties a nobis ingratitudine solvitur.

Nunc Jesus te, ut olim Petrum, interrogat: „Amas me?“ Joann. 21, 17. Amas me, qui tantopere te amavi? Num et tu operibus potius quam verbis cum apostolorum principe ei potes respondere: „Domine, tu scis, quia amo te?“ Joann. 21, 17.

Vere, mi Jesu, ego amo te et magis te amare velim; tui divini amoris ignem in me accende, neve aliud quidquam extra te a me amari permittas.

Punct. II.

Considera, quam admirabilis sit Jesu in hoc sacramento amor. Si bene recogitaverimus, quale donum nobis det, cur, quando, quomodo donet, unaquaeque ex his circumstantiis admirationem et amorem nostrum excitabit. Semetipsum nobis dat cibum; dat, ut nobis, quantopere nos amet, demonstret; dat pridie, quam moreretur; dat desiderio ardens unum nobiscum efficiendi.

O Jesu amorem parum cognitum! Quis est, qui hujus amoris concipiat longitudinem, latitudinem, altitudinem, profunditatem! Utinam, mi Jesu, omnium angelorum et Sanctorum haberem amorem, ut, quantopere hi omnes simul, te amarem! Saltem te diligam ex toto corde meo et ex tota anima

mea et ex tota mente mea et ex tota virtute mea; et quotiescunque feret occasio, tibi amorem meum monstrabo. Vae homini, qui te non amat! „Qui non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema. I. Cor. 16, 22.

DIES XXIX.

OBEDIENTIA ET PATIENTIA JESU IN SS. EUCHARISTIA.

Ante missam.

Punct. I.

Considera, Jesum non contentum, Patri coelesti obedientem esse usque ad mortem crucis, majorem obedientiam exercere in Eucharistia, ubi cujuslibet sacerdotis verbis obedit. „Obediente Domino voci hominis." Jos. 10, 14. In manus ejus venit; in loco, quo sacerdos sacras species reponit, manet; angustis earum finibus se includit, ex quibus, quamvis magnis affectus injuriis, ut in passionis mysterio, per semetipsum non egreditur.

Qualis obedientia! Se subjicit Deus omnipotens infirmae creaturae, dominus servo, Sanctus Sanctorum peccatori. Qualis lectio pro me, qui praeceptis ejus tam male me subjicio? Quomodo superbia inflatus, pertinacia affectus, dominari tantum,

nunquam obedire volens ad Deum tam obedientem accedere audeam?

Abrenuntio, o mi Deus, voluntati meae; id solum, quod tu vis, volo. „Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.“ Psalm. 142, 10.

Punct. II.

Considera, Jesu obedientiam penitus esse voluntariam, quia vincula rumpendi et a tali subjectione sese liberandi satis habet potestatis. Vult autem parvis et vilibus sacramenti speciebus inseperabiliter alligari, sacerdoti obediens, qui ex ipso pendet, ita ut in Eucharistia dicere possit, quod de morte sua dixit: „Ego pono eam a meipso.“ Joann. 10, 18. et obedientiae ejus meritum magis etiam augeatur.

Quomodo autem fit, ut tale exemplum habentes superiorum nostrorum mandatis repugnemus, murmurantes et de eorum severitate conquerentes obediamus et ob id tantum nos subjiciamus, quod aliter fieri non potest? Firmiter tandem eis obedire statuamus, „non ad oculos servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo.“ Ephes. 6, 6. In superiorum nostrorum voluntate Dei voluntatem agnoscamus, ut divino nostro magistro conformes nos exhibeamus. Tali obedientiae spiritu repleti altare ascendamus.

Post missam.

Punct. I.

Considera, Jesum in Eucharistia eandem semper exercere patientiam, quam vita terrestri et morte monstravit. Patienter fert non modo fidei, reverentiae et devotionis defectum, quo tot christiani, quin adeo tot sacerdotes laborant, sed etiam irreverentias et immodestias, quae eo praesente committuntur; sui sanguinis et carnis profanationes et sacrilegia in indignis communionibus.

O admirabilem Dei mei patientiam! „Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me." Psalm. 68, 10. Vero, Domine, dolore conficior de omnibus injuriis, quibus in hoc mysterio afficeris. Utinam earum partem aliquam possim reparare! Utinam possim impedire, ne repetantur! Offero tibi, mi Jesu, magnam angelorum et Sanctorum tuorum reverentiam et adorationem, devotionem et honorem, quem a Fidelibus tuis et ecclesia tua unquam recepisti. Irreverentias meas mihi ignosce.

Punct. II.

Considera Jesu patientiam admirabili quodam modo ex his circumstantiis elucere: primum patitur a creatura miserabili et contemptibili, quamquam est Deus magnus et augustus, qui impios eodem momento, quo offendunt, perdere posset. Deinde injurias istas eodem tempore fert, quo gratias lar-

gitur maximas. „Retribuebant mihi mala pro bonis." Psalm. 34, 12. Tum in hoc mysterio offensiones patitur, ex quo tempore illud instituit, et in posterum patietur.

Ipsa igitur, mi Jesu, es patientia eaque permotus me hucusque tulisti. Quomodo debitas tibi agere potero gratias? Noli, quaeso, amplius me patientia tua abuti permittere. Da mihi, quum te Deum tam benignum et patientem toties recipiam, secundum exemplum tuum contemptus et contradictiones patienter ferendi gratiam.

DIES XXX.

PAUPERTAS ET HUMILITAS JESU IN SS. EUCHARISTIA.

Ante missam.

Punct. I.

Considera paupertatem Jesu in Eucharistia, qui pauperes tantum et viles species habitationem suam eligit; qui multis locis in tanta paupertate commoratur, ut facile possit intelligi, eum eundem Deum et hominem esse, qui natus est in Bethlehem in stabulo, in praesepio positus et fasciis involutus. In hoc tamen paupertatis statu infinite est dives et potens; in reges et angelos dominatur; ad pedes

suos videt coeli et terrae potestates. „Simul in unum dives et pauper.“ Psalm. 48, 3.

In hac paupertate eum Deum tuum agnosce; et si ei placere vis, paupertatis spiritum habe. Recogita, quod dixit in evangelio: „Qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus.“ Luc. 14, 33. Inquire diligenter, num nihil habeas supervacanei in supellectili, in vestimentis, in aliis rebus ad vitam necessariis, dum salvator tuus, omnibus privatus „non habet, ubi caput reclinet.“ Luc. 9, 58.

Punct. II.

Considera, Jesum in Eucharistia tam pauperem esse, ut non sui, sed nostri sit. Erga nos amore inflammatus non modo sua bona, sed etiam semet ipsum projecit, ut totum se nobis daret et paupertate sua nos ditaret. „Propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.“ II. Cor. 8, 9.

Largire mihi, mi Jesu, tuas divitias, gratias, virtutes et merita. „Exaudi me, quoniam inops et pauper sum ego.“ Psalm. 85, 1.

Post missam.

Punct. I.

Considera, Jesu humilitatem, quamvis eluceat ex incarnatione, in qua „semetipsum exinanivit, formam servi accipiens,“ Philipp. 2, 7.

tamen magis cognosci posse ex Eucharistia, ubi in statum omnium creaturarum viventium statu longe inferiorem descendit. In hoc enim panis tantum species cernitur; neque vivere neque moveri neque rationem aut agendi potentiam habere videtur, et id, quod est mirabilius, libenter in hoc statu versatur.

O quantum haec Jesu Christi humilitas superbiam nostram condemnat! Id, quod est, videri non vult; et nos, quod non sumus, videri volumus. Agnosco, mi Deus, magnitudinem tuam et nihilum meum, omnipotentiam tuam et infirmitatem meam, sanctitatem tuam et corruptionem meam. „Quanto propter me vilior, tanto mihi carior. Magnus Dominus et laudabilis nimis; parvus Dominus et amabilis nimis.“ S. Bern. Adoro te in humilitate tua, et tantum absit, ut me ejus pudeat, ut in ea omnem gloriam meam quaeram.

Punct. II.

Considera, Jesum, quamvis infinite magnum, in Eucharistia in profundissimam humiliationem descendere voluisse, ut nos doceret, summam dignitatem et magnitudinem ab humilitate non solvere; et quo quis altius elevatus esset, eo magis se humiliare debere, quia ei plures gratiae necessariae essent, et humilibus tantum gratia impertiretur; quia major ei reddenda esset ratio et superbiae et vanitati magis ipse exponeretur. Quamobrem Spiritus

sanctus dicit: „Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam? Eccl. 3, 20. Jesus, quamquam nihil erat, quod timeret, quia peccare non poterat; quamquam gratia ei non opus fuit, quia ipse est gratiae fons et auctor, tamen sese humiliavit, ut continuo doceret nos imprimis, dignitate alios longe superantes, humilitatem utique nobis esse necessariam.

Utere igitur ejus exemplo; ultimum hominum te puta. Nam sancto Paulo justius dicere potes: „Ego sum minimus, tamquam abortivus." I. Cor. 15, 8. „Recumbe in novissimo loco." Luc. 15, 10. Quotidie a Jesu humilitatis gratiam pete.

DIES XXXI.

PURITAS ET PERSEVERANTIA JESU IN SS. EUCHARISTIA.

Ante missam.

Punct. I.

Considera, qualis sit Jesu in Eucharistia puritas. Ut Deus idem est, qui a Patre operatione totaliter spirituali genitus est ex omni aeternitate; ut homo idem est, qui cooperante Spiritu sancto ex purissimo

B. Mariae Virginis sanguine formabatur; idem, qui in terram descendit, ut homines puritatis virtutem doceret; qui ne minimam quidem concupiscentiae tentationem tulit; qui omnes mundi impuritates extinxit ac abluit; qui ipse sine ulla macula vixit. Hic Deus homo et sacerdos est et victima sacrificii, quod es oblaturus.

Porro considera, hoc mysterium esse sacramentum, cujus materia est frumentum purum, panis non fermentatus, symbolum puritatis; cujus forma est ipsius Dei verbum. Quanta esse debet tua puritas, ut Jesum, ipsam puritatem, oculis conspicias, manibus tangas, offeras et recipias!

O quanta tua de hac re animi caecitas! Vide, ne unquam altare ascendas, antequam te de ea examinaveris. Minima saepe peccata in sacerdotibus magna sunt et summopere Deo disciplicent, „qui pascitur inter lilia." Cant. 2, 16.

Punct. II.

Considera, Jesum in Eucharistia nobis impertire velle praecipue suam puritatem; qui unus est ex principalibus hujus sacramenti effectibus per haec Zachariae prophetae significatus: „Quid est bonum ejus, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum et vinum germinans virgines." Zach. 9, 17. Efficitur primum conjunctione carnis Jesu virgineae cum nostra; etenim si in hostia veteris testamenti pro peccatis

oblata virtus infuit quidquid tetigit sanctificandi, quanto magis Jesu caro, hostia tam pura, hominum corpus, cui conjungitur, sanctificabit? Deinde hoc sacramento quemadmodum charitas augetur, ita concupiscentia debilitatur.

O quam necessarium tibi est validum illud subsidium, ut virtutem tam difficilem consequaris et conserves! Quomodo eam sine frequenti hujus mysterii participatione hucusque conservare potuisses? Si tentationi non succubuisti, Jesu corpori et sanguini gratias refer. Si virtutem illam tueri vis, confidenter illud in animam tuam recipe; cor purum ab eo pete.

Post missam.

Punct. I.

Considera Jesu in Eucharistia perseverantiam. Ex quo tempore illud instituit, perpetuo vere, realiter et substantialiter in eo permansit. Reliqua sacramenta in actione tantum, quae praeterit, consistunt; hoc autem in se est permanens atque perpetuum. In eo Jesus Patrem glorificare, ei gratias agere, pro nobis orare et satisfactionis suae merita nobis applicare non cessat. Usque ad temporum finem in eo remanebit idemque semper faciet, ut promisit: „Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi.“ Matth. 28, 20.

Quare ei gratias age, quod ad continuanda nobis

beneficia semper apud nos vult habitare. Utrum et tu tanta es in eum perseverantia? Nonne de te quoque dici potest: „Ecce, qui serviunt ei, non sunt stabiles.“ Job. 4, 48. O quanta inaequalitas! quanta in vita tua inconstantia! Hoc momento fortasse devotionem aliquam animumque bene collectum et bona sentientem habes; sed quid tibi aliquot horis vel momentis elapsis de his omnibus restabit? Mori malo, divine Jesu, quam denuo tibi esse infidelis. „Ego autem dixi in abundantia mea: non movebor in aeternum.“ Psalm. 29, 7.

Punct. II.

Considera, Jesum in Eucharistia perseverantiae non exemplar tantum esse, sed etiam fontem; primum quia, animae nostrae cibus, gratiae vitam in nobis conservat, quemadmodum corporis vires cibo conservantur; deinde quia a peccato mortali, quod solum gratiae vitam extinguit, nos praeservat; tum quia hoc sacramentum validissimum tentationibus resistendi et in bonis operibus perseverandi praebet adjumentum.

Quantas Jesu pro hoc mirabili perseverantiae subsidio debemus gratias! Quomodo vel unum temporis momentum ejus auxilio destituti stare possemus? Quotidie igitur gratias pro hoc sacramento, quam potes maximas ei age. Time, ne toties relapsus hoc sacramento sis abusus; ex toto corde

tuo de omnibus infidelitatibus tuis dole et perseverantiae donum a Deo pete: „P e r f i c e g r e s s u s m e o s i n s e m i t i s t u i s, u t n o n m o v e a n t u r v e s t i g i a m e a." Psalm. 16, 5.

VII.

ACCESSUS ET RECESSUS

IN MISSIS

PRO

DEFUNCTIS.

ACCESSUS

ANTE MISSAM PRO DEFUNCTIS.

Applicatio.

O beatissima Trinitas, unus Deus, unus Dominus! ego ordinatione tua sacerdos oblaturus venio incruentum sacrificium veri Dei hominis Jesu Christi, vere et realiter in sacra hostia praesentis, qui seipsum obtulit victimam incruentam in ultima coena et victimam cruentam in cruce. Sacrificium hoc:

1. quatenus adoratorium est, offero in adorationem majestatis tuae et in supremum cultum latriae. Unde omnium in purgatorio animarum actus adoratorios, quos illae unquam exercuerunt in vita sua, in cor meum contraho tuaeque majestati repraesento, et in illis et cum illis te adoro in Deitate, te glorifico in majestate, te magnifico in sanctissimo sacrificio, quod divinae majestati tuae offerre volo, et quidem primario ac specialiter pro anima .... (pro animabus ....).

2. Quatenus sacrificium missae est gratiarum actorium, offero in gratiarum actionem pro omnibus, quae huic animae, pro qua (his animis, pro

quibus) sacrificare intendo, contulisti in tempore et collaturus es in aeternitate.

3. Quatenus sacrificium missae est satisfactorium, offero totam satisfactionem pro anima illa, pro qua (animabus illis, pro quibus) sacrificare intendo. Quodsi haec anima sacrificii capax jam non est (hae animae sacrificii capaces jam non sunt), offero pro alia anima vel animabus sive pro vivis, prout meliori modo offerre et applicare possum.

4. Quatenus sacrificium est impetratorium offero ad impetrandum animae illi, pro qua (animis illis, pro quibus) sum celebraturus, liberationem a poenis purgatorii sive levamen in illis. Item ad impetrandum, ut aliis etiam sacrificiis, fidelium orationibus et operibus satisfactoriis adjuvetur (adjuventur). Eum autem omnem sacrificii fructum, cujus anima illa capax non est vel non indiget (animae illae capaces non sunt vel non indigent), offero et applico pro illis sive vivis sive defunctis, pro quibus magis est acceptabilis. O Deus meus! cedat ad gloriam tuam et salutem meam atque creaturarum tuarum. Amen.

Ad ss. Trinitatem et Sanctos.

O Pater misericordiarum et Deus totius consolationis! animae illi, pro qua (animabus illis, pro quibus) sacrificabo, misericordiam concede perpetuam: ut eis proficiat hoc sacrificium in aeternum, sicut speravit et credidit (speraverunt et credi-

derunt). Me autem famulum tuum, o Pater aeterne, sanctifica et sanctificando dignifica: ut sacrificium tibi Altissimo oblaturus digne compaream, fiatque sacrificium illud majestati tuae acceptabile in conspectu tuo. Insuper conscientiam meam, clementissime Pater, gratia tua salutari visitando purifica et purificando dignum habitaculum praepara, ut veniens in sacro convivio Jesus Christus, Filius tuus, Dominus noster paratam sibi in me inveniat mansionem. Amen.

O Jesu, vita et resurrectio nostra, qui tuam nobis carnem et sanguinem in cibum potumque dedisti, per infinitum hunc amorem supplex oro: miserere animae, pro qua (animarum, pro quibus) sacrificabo, ut mox tecum edat et bibat (edant et bibant) super mensam tuam in regno tuo. Miserere etiam mei, sacerdotis indigni, et praesta, ut debita cordis contritione et devotione, integra corporis castitate et animae puritate celebrare valeam divinum istud et coeleste sacrificium, ubi caro tua in veritate sumitur, ubi sanguis tuus in veritate bibitur, ubi tu es victima et sacerdos mirabiliter et ineffabiliter constitutus. Igitur, o Jesu, munda me, et mundabor.

O s. Spiritus, consolator optime! miserere animae, pro qua (animarum, pro quibus) sacrificabo; da illi (illis) sanctae consolationis dulcedinem, refrigerii sedem, quietis beatitudinem et luminis claritatem. Miserere etiam mei, peccatoris coram te, et praesta, ut corpus et sanguinem Domini nostri

Jesu Christi in altari digne sancteque offeram et sumam atque ex hoc sacrificio mihi et illis, pro quibus sum oraturus, consequar salutem et benedictionem in corpore et anima, in terra et in coelo. Igitur, o sancte Spiritus, doce me, dignifica me, sanctifica me.

O sancta Maria, Dei genitrix Virgo, mater gratiae, mater misericordiae! gratiam et misericordiam impetra animae illi, pro qua (animabus illis, pro quibus) missam celebrare intendo: ut pretioso Filii tui sanguine redempta (redemptae) cum omnibus Sanctis aeterna in gloria numerari mereatur (mereantur). Gratiam etiam mihi impetra sacerdoti, ut Filium Dei unigenitum, cujus dignum fuisti habitaculum, digne offeram et digne suscipiam.

O vos sancti angeli omnesque Electi Dei! intercedite pro anima, pro qua (animabus, pro quibus) accedo ad altare: ut in Electorum consortium recipi mereatur (mereantur); intercedite pro me, indigno sacerdote: ut digne celebrem sanctissimum sacrificium missae. Amen.

Antiph. Sacerdotes tui induantur justitiam.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Omnipotens et misericors Deus! humilitatis meae preces benignus intende; et me famulum tuum, quem nullis suffragantibus meritis, sed immensae

clementiae tuae largitate coelestibus mysteriis servire tribuisti, dignum sacris altaribus fac ministrum, ut, quod mea voce depromitur, tua sanctificatione firmetur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ad lucrandam indulgentiam 50 annorum hanc orationem recitabis: **Ego volo celebrare etc. pag. 40.**

RECESSUS
POST MISSAM PRO DEFUNCTIS.

O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur! O Jesu dulcissime! corpus tuum sanctissimnm et sanguis tuus pretiosissimus est sacrum istud convivium, quod ipse nobis parasti; ad hoc per gratiam tuam ego inops et pauper accessi, in hoc recolitur memoria amarissimae passionis tuae, potissimum crucifixionis in monte Calvariae, quando tribus horis in cruce medius inter duos latrones pependisti, sanguinem fudisti et in manus Patris inclinato capite spiritum tuum tradidisti, te ipsum sic offerens in sacrificium cruentum. Rogo igitur, o Jesu Christe pro nobis crucifixe! rogo per sanctissimum corpus tuum, quod in hoc sacro convivio sumpsi; per pretiosissimum sanguinem tuum, quem potavi; per

sacratissimam passionem tuam, quam veneror; per haec rogo, ut anima mea, quae nescit, utrum odio an amore digna, in sacro convivio spiritualiter refecta, gratia tua sanctificante, repleatur, et futurae gloriae pignus illi detur.

Oblatio.

O beatissima Trinitas, unus Deus, unus Dominus! gratias ago, quod incruentum sacrificium veri Dei-hominis Jesu Christi, vere et realiter in hostia consecrata praesentis divinae majestati tuae offerre potuerim. Hoc sacrificium per me oblatum,

1. Quatenus est adoratorium, clementissime suscipere digneris in adorationem supremae majestatis tuae, animamque, pro qua (animasque, pro quibus) obtuli, Sanctorum tuorum jubeas jungi consortio, ut te Dominum Deum suum cum omnibus Sanctis adorare valeat (valeant) in coelo.

2. Quatenus est gratiarum actorium: gratias ago, quod ego indignus sacerdos ad sanctum altare celebraturus sim admissus, itemque quod anima ista (animae istae) sacrificii a me oblati facta sit particeps (factae sint participes).

3. Quantum sacrificium oblatum est satisfactorium: exhbieo satisfactionem et pretium sanguinis Domini nostri Jesu Christi, ut hoc sacrificio anima illa purgata obtineat (animae illae purgatae obtineant) indulgentiam et ad refrigerium perveniat (perveniant) sempiternum.

4. Quatenus est impetratorium, rogo, clementissime Deus, impetret anima illa (impetrent animae illae) poenas purgatorii virtute hujus sacrificii cessare aut mitigari. Impetret (impetrent) etiam sanctae ecclesiae suffragiis, jejuniis, eleëmosynis aliisque bonis operibus adjuvari, ut cito pervenire mereatur (mereantur) ad requiem sempiternam. Denique omnis hujus sacrificii a me oblati fructus, cujus anima illa capax non est (animae illae capaces non sunt), cedat, o Deus meus, ad laudem et gloriam nominis tui, ad utilitatem meam et illorum, pro quibus orare vel sacrificare obligor sive oportet. Praecipue dare digneris ecclesiae sanctae incrementum et pacem, infidelibus et haereticis donum verae fidei, regibus et principibus christianis veram concordiam, amicis et benefactoribus bona sempiterna, inimicis charitatem, captivis inter infideles sanctam consolationem, agonizantibus felicem mortem, defunctis requiem aeternam, mihi vero, servo tuo, coram te servire in sanctitate et justitia omnibus diebus vitae meae. Amen.

Sancta Maria, mater Dei! Omnes Sancti et Sanctae Dei! orate pro anima, pro qua (pro animabus, pro quibus) missam celebravi. Orate pro me, indigno sacerdote, nunc et in hora mortis meae. Amen.

Ad lucrandam indulgentiam plenariam hanc orationem recitabis: **En ego, o bone etc. pag. 52.**

APPENDIX.

I.

REGULÆ VITÆ SACERDOTALIS.

Ubi ordo, ibi perfectio.

1. Hora fixa surge e lectulo et discede cubitum, et in hisce memor esto verbi Dei: „Qui mane vigilant ad me, invenient me." Prov. 8, 17.

2. Statim postquam surrexisti, saltem dimidiam horam meditationi ferventer impende; ordina offerque Deo, quaecunque tibi per diem agenda vel patienda sunt. „Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te." Psalm. 62, 7. „Domine! mane exaudies vocem meam." Psalm. 5, 5.

3. Quotiescunque sanctum missae sacrificium celebras, sufficiens tempus pro praeparatione et gratiarum actione sanctifica. „Maledictus, qui facit opus Domini negligenter." Jerem. 48, 10.

4. Breviarium tempore fixo, Matutinum et Laudes, quantum fieri potest, semper pridie recita.

5. Priusquam divinum officium incipis, sancta sacramenta administras vel alia functione sacri

ministerii fungeris, aliquantulum temporis te recollige, vivifica fidem tuamque intentionem ad Deum dirige.

6. Quotidie fac lectionem spiritualem, visitationem sanctissimi altaris sacramenti, examen generale et particulare, et recita saltem unam legem rosarii. „Beatus homo, qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie et observat ad postes ostii mei.“ Prov. 8, 34.

7. Omnipraesentem Deum tibi saepe propone per diem. „Ego Deus omnipotens: ambula coram me, et esto perfectus.“ Gen. 17, 1.

8. Confessario stabili utere et talem elige eum, quem tu omnium maxime probum et doctum virum esse cognoveris; confessionem ultra octo vel ad majus quindecim dies ne differ, et quodcunque illi ad bene recteqûe ducendam animam scire utile est, simpliciter manifesta.

9. Quotidie per qradrantem circiter horam lege in sacra scriptura.

10. Quotidie in disciplinas sanctae theologiae, praecipue dogmaticam et moralem, nonnullum studium consume.

11. Quotannis et quidem tempore spiritualium exercitiorum, quantum fieri potest, rubricas Missalis et Breviarii perlege.

12. Profitere obedientiam ac submissionem Praelatis ecclesiae; demonstra charitatem omnibus tuis confratribus et ne permittas, ut hi judicentur et

vituperentur, praecipue coram laicis; raro accepta invitationes ad coenandum extra domum tuam.

13. Altaris paramenta et sacram supellectilem cura esse mundissima. „Domine, dilexi decorem domus tuae et locum habitationis gloriae tuae.“ Ps. 5, 8.

14. Multum diligentiae in praedicando verbum Dei, in faciendo instructiones catecheticas, in audiendo confessiones, in visitando aegrotos consume. „Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.“ Joann. 50, 21.

15. Fove fervidissime in corde tuo devotionem atque charitatem erga Jesum et Mariam, et omnibus viribus cura atque effice, ut sancta sacramenta a Fidelibus diligenter frequententur.

16. Singulariter converte affectum cordis tui ad miseros homines cujusvis generis, et diligenter satisfac obligationi boni pastoris, miseriam ovium, si non tollendi, at levandi. „Improperium expectavit cor meum et miseriam: et sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit, et qui consolaretur, et non inveni.“ (Querela sanctissimi cordis Jesu ex Breviario desumpta).

17. Vestes clericales gere, capillos compone, tonsuram fer, ut probatior sacerdos.

18. Ne permittas unquam recreationes contrarias characteri, qui per impositionem manuum animae tuae impressus est; — fuge venationes, ludum

societatemque dissolutorum tam laicorum quam clericorum, ubi nulla est probabilis spes eos ad meliora reducendi. „Custodi animam meam, quoniam sanctus sum.“ Psalm. 85, 2.

19. Consortia, familiaritates et conversationes parum utiles, non necessarias cum altero sexu evita ac fuge. „Vidi cedros Libani turpiter corruisse, de quorum sanctitate non magis, quam Ambrosii et Hieronymi dubitassem.“ S. August. — „Cogita, et iterum cogita, quod libidinis tentatio fugiendo superetur“ S. August. — „Ne confidas in castitate praeterita; sed vigila et omni cura custodi cor tuum.“ S. Hieron.

20. Ordina secundum stabilem normam sumptus tuos, praecipue mensae; observa quod ad decorum pertinet; et ne obliviscere parsimoniae et sobrietatis. „Sobrii estote et vigilate.“ I. Petr. 5, 8.

21. Quovis mense proposita in exercitiis facta et has regulas semel relege.

22. Quovis anno tempus pro spiritualibus exercitiis elige.

23. Si propter improvisa et necessaria sacri ministerii negotia vel ex alia causa justa partem aliquam harum regularum sequi non poteris, ne animi perturbationem admittas.

Et quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos et misericordia Dei. Gal. 6, 16.

II.

PRECES MATUTINÆ ET VESPERTINÆ.

A. EXERCITIUM MATUTINUM,

ab Alexandro VII XI et Innocentio valde commendatum.

1. Adoro te, o sanctissima trinitas, Pater, Filius et Spiritus sanctus, tres personae, unus et solus Deus! Ac opitulante gratia, quam supplex imploro, dejicio me in abysso mei nihili sub conspectu divinae majestatis tuae.

2. Credo firmissime, paratus mille vitas profundere in contestationem omnium eorum, quae nobis in sacra scriptura revelasti et per ecclesiam tuam credenda proposuisti.

3. Omnem spem meam in te colloco, et quidquid possum habere boni, sive spiritualis sive corporalis, tam in hac quam in altera vita, id totum desidero, spero et volo solum consequi de manu tua, Deus meus, vita mea et unica spes mea!

4. Consigno tibi hodie et in perpetuum corpus et animam meam, omnes potentias meas, memoriam et intellectum, voluntatem et omnes sensus meos.

5. Protestor, me non consentire neque consensurum unquam, quantum in me est, in ullam rem, quae fiat vel cum minima offensa tuae divinae majestatis.

6. Propono firmissime impendere omnem naturam meam, facultates ac vires meas, ad servitium et gloriam tuam.

7. Paratus sum suscipere quascunque adversitates, quas mihi paterna tua manus immiserit, ad dandum gustum beatissimo cordi tuo.

8. Vellem me totum, tantus quantus sum, impendere et procurare, ut ab omnibus tibi serviatur, atque omnes homines te glorificent et ament Deum, creatorem suum.

9. Gaudeo summe de tua aeterna felicitate et exulto de tua tam magna gloria in coelo et in terra.

10. Gratias tibi ago infinitas pro innumeris beneficiis, quae mihi et toti mundo, beatae Virgini ac sanctissimae humanitati Christi collata sunt et in dies incessanter a benignissima tua providentia conferuntur.

11. Amo tuam infinitam bonitatem propter se ipsam ex toto affectu cordis et animae meae; et vellem, si possem, te amare eo amore, quo te amant angeli et homines justi, beata Virgo et Christus Dominus, cum quorum amore conjungo imperfectissimum amorem meum.

12. Offero divinae majestati tuae, in unione meritorum passionis, vitae et mortis Christi, beatissimae semper Virginis et omnium Sanctorum, ex nunc pro semper, omnia opera mea, pretiosissimo sanguine Jesu, redemptoris nostri, lota et involuta.

13. Statuo omnium participem me facere, quan-

tum possum, indulgentiarum per preces et actiones hujus diei, et illas applicare per modum suffragii pro animabus purgatorii.

14. Volo etiam omne illud, quod possum, offerre in poenitentiam et satisfactionem meorum peccatorum.

15. Deus meus! cum tu sis infinite dignus omni amore et servitio, siquidem tu es, qui es; doleo ex toto corde de omnibus meis peccatis illaque detestor super omnia alia mala, quia tibi Deo meo, quem super omnia amo, summopere displicent. Peto humillime veniam facioque firmissimum propositum nunquam offendendi tuam bonitatem in aeternum.

16. In tua vulnera me projicio, o Jesu! Ibi me absconde et defende hodie et semper, donec mihi largiaris gratiam videndi te et amandi in aeternum.

Jesu! Maria! Joseph! Vobis dono meum cor et animam meam nunc et in perpetuum. Amen.

„Memorare" s. Bernardi.

Memorare, o piissima Virgo, non esse auditum a saeculo, quemquam ad tua currentem praesidia aut tua implorantem auxilia aut tua petentem suffragia a te esse derelictum. Ego tali fiducia animatus ad te, virgo virginum, mater Jesu Christi, confugio, ad te venio, ad te curro, coram te gemens et tremens assisto. Noli, o Domina mundi, aeterni Verbi mater, verba mea despicere, sed audi propitia

et exaudi me miserum ad te in hac lacrymarum valle clamantem. Adsis mihi, obsecro, in omnibus necessitatibus meis nunc et semper et maxime in hora mortis meae, o clemens, o pia, o dulcis virgo Maria!

O domina mea! o mater mea! memento me esse tuum. Serva me, defende me, ut rem ac possessionem tuam. (Indulg. 100 dierum.)

Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna illumina, custodi, rege et guberna. (Indulg. 100 dierum).

B. EXERCITIUM VESPERTINUM.

1. *Gratias age Deo pro beneficiis acceptis.* — Quid retribuam tibi, Domine, pro omnibus, quae retribuisti mihi? Tu creator meus es, adjutor meus et protector vitae meae. Tu per Filium tuum redemisti me et per Spiritum sanctum tuum sanctificasti me. Tuae verae ecclesiae catholicae aggregasti me et in sortem ministerii tui vocasti me. Replevisti me benedictionibus et praeter alia innumera beneficia ad hujus diei finem incolumem me perduxisti. Quapropter in unione Filii tui gratias tibi ago ex toto corde meo. Ne recedat laus tua de ore meo, quia benignus es et patiens et dives in misericordia.

2. *Lumen peccatorum cognoscendorum pete.* — Spiritus sancte Deus, qui scrutator es cordium et absconditorum cognitor: peccata mea statue contra faciem meam, ut iniquitates meas ego cognoscam et compungar coram te et toto corde convertar ad te, Deum meum.

3. *Conscientiam tuam discute et examina te, quid peccaveris cogitatione, verbo, opere et omissione imprimis circa peccatum istud, quod certamine singulari expellere tibi proposuisti, vel circa virtutem illam, quam eo acquirere intendis.*

4. *Delictorum veniam pete.* — Ecce me, clementissime Pater, ad pedes tuos provolutum et tuam suppliciter misericordiam implorantem. Doleo vehementissime et toto corde detestor omnia peccata mea, quia te, Deum meum summe perfectum et omni amore dignissimum, offendi. Respice, quaeso, in faciem Christi tui et animae meae maculas Filii tui sanguine absterge.

5. *Propone cum Dei gratia emendationem.* — Magna est, Domine, miseratio tua, et misericordiae tuae multae sunt nimis, quia cor contritum et humiliatum non despicis neque ad te suspirantem et revertentem repellis. Statuo nunc firmiter, tua adjuvante gratia, omne peccatum et omnem peccandi occasionem devitare. Confirma, benignissime Deus, quod in me es operatus; timorem tuum cordi meo infunde, ne a te recedam, sed

ut in via virtutum ambulem et omnibus diebus vitae meae tibi serviam.

6. *Sanctissimo cordi Jesu te commenda.* — O cor Jesu dulcissimum! tibi commendo hac nocte cor et corpus meum, ut in te dulciter requiescant. Et quoniam jam obdormiturus Deum laudare nequeo, tu illud pro me supplere ita digneris, ut quot pulsus cor meum hac nocte dederit, tot laudes sanctissimae Trinitati pro me persolvas omnemque halitum, quem spiravero, in te susceptum, eidem tanquam vivas amoris scintillas offerre velis. Amen.

7. *Commendatio ad B. V. Mariam et sanctos Patronos.* — In tuam maternam fidelitatem ac singularem custodiam commendo me hac nocte, o beatissima Virgo Maria, rogans, ut me ab insidiis inimici tuearis.

Memorare, o piissima etc. pag. 369.

O vos, sancti patroni mei! hac nocte me defendite et incolumem servate, et pro me dormiente continenter Deum meum laudate mihique vestram benedictionem, quam humiliter peto, conferre dignemini. Amen.

8. *Commendatio ad s. angelum custodem.* — Angele Dei etc. pag. 370.

9. *Intentio ante somnum.* — Domine Jesu! hunc somnum suscipiam in illo amore, quo tu eundem sanctificasti, cum in tua sanctissima humanitate eo utereris ad laudem Dei Patris et salutem totius

generis humani, orans, ut in unione divini amoris tui cedat in augmentum salutis omnibus coelestibus, terrestribus et purgandis. Amen.

10. *Cubiturus pollice scribe in fronte tua has litteras: J. N. R. J. interim dicens:* Jesus, Nazaraenus, Rex Judaeorum praeservet me a subitanea mala morte. Fidelium animae per miseric. etc.

III.

EXERCITIUM SACRÆ MEDITATIONIS.

Scisne, quo paulatim venturus sis, si meditationis studium remittas? Eo, quo tu non vis. Quaeris: quo? Ad cor durum, quod semetipsum non exhorret, quia nec sentit, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur. . . Nam meditatio est, quae mentem purificat, regit affectum, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat et ordinat. S. Bern. lib. de consid. ad Eugen. 1, 2 etc.

1.

ORATIO ANTE MEDITATIONEM.

Immensa majestas! Deus meus et Dominus meus! qui non sum dignus attollere oculos meos in coelum prae multitudine iniquitatum mearum, loquor tamen pulvis et cinis, quia suavis es et multum

misericors, et invocabo nomen sanctum tuum et meditabor in mandatis tuis, ut discam et custodiam omnes justificationes tuas. O Pater et Fili et Spiritus sancte! illumina intellectum meum, ut quae ad procurandam majorem tuam gloriam, salutem propriam et alienam agenda vel omittenda sunt intelligam. Excita voluntatem meam, ut anteactae vitae culpas et negligentias omnes ex toto corde detestar teque, Deum meum, amem super omnia, quia infinite amabilis es. Adjuva potentias meas ad agendum et patiendum fortiter et constanter, ad imitationem Domini nostri Jesu Christi, ducis mei, quidquid et quando volueris, et quia tibi, Deus meus, placet. Amen.

2.

BREVIS MEDITANDI RATIO.

Praeparatio remota.

Remove obstacula: spiritum hujus mundi, mentis dissipationes etc.

Adhibe virtutes oppositas: spiritum humilitatis, mortificationis, orationis etc.

Praeparatio proxima.

Pridie perlege meditationem.

Experrectus primo cogita de meditatione facienda.

Cogitationes conformes fove.

Accede animo tranquillo.

Initium.

Deum praesentem cogita, adora, pete gratiam bene orandi.

Praeludia :
1. Mysterium contemplandum ob oculos pone, ac si coram te ageretur.
2. Fructum e meditationem eruendum pete.

Medium.

Memoria materiam meditationis in mentem revocat. Intellectus perpendit:

1. Quae veritas consideranda?
2. Quae conclusio practica ex veritate deducenda?
3. Quae motiva ad conclusionem practicam servandam inducunt? (quam decens, quam utile, jucundum, necessarium?)
4. Quomodo id hactenus observatum?
5. Quid in posterum faciendum?
6. Quale impedimentum removendum?
7. Quale medium eligendum.

Voluntas 1. affectus excitat per totam meditationem corde plus quam ore, ex. gr. laudis, gratiarum actionis, admirationis, confusionis, doloris, deprecationis, amoris etc.

2. proposita format particularia, practica, accomodata praesenti necessitati, fundata in motivis solidis.

Finis.

Collóquium ad B. V. M. — Jesum Christum — Patrem coelestem, ut filii ad Patrem, servi ad dominum, amici ad amicum, aegri ad medicum, oviculae ad pastorem.

Tessera seligenda ex s. scriptura vel ss. Patribus, per diem repetenda, ut meditationis fructus servetur.

3.

ORATIO POST MEDITATIONEM.

Suscipe, clementissime Deus, intervenientibus meritis unigeniti tui Christi Jesu, precibus quoque beatissimae Mariae Virginis et omnium Sanctorum tuorum, officium servitutis meae.

Et si quid egi laude dignum, propitius respice; et quod negligenter actum est clementer ignosce: qui in trinitate perfecta vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

IV.

EXERCITIUM CERTAMINIS SINGULARIS.

Patroni et virtutes cum textibus sacrae scripturae pro singulis anni mensibus.

1. Januarius.

Protectores: S. Petrus et Paulus, Apost.
Virtus: Fides.
Textus: „Ego sum lux mundi.“ Joann. 8, 12.

2. Februarius.

Patronus: S. Andreas, apost.
Virtus: Spes.
Textus: „Quoniam in me speravit, liberabo eum; protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.“ Psalm. 90, 14.

3. Martius.

Patronus: S. Jacobus major, apost.
Virtus: Charitas Dei.
Textus: „Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota mente tua et ex tota virtute tua.“ Marc. 12, 30.

4. Aprilis.

Patronus: S. Joannes, apost. et evang.
Virtus: Charitas proximi.

Textus: „Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.“ Joann. 15, 12, 13.

5. Majus.

Patronus: S. Thomas, apost.
Virtus: Paupertas.
Textus: „Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum coelorum.“ Matth. 5, 3.

6, Junius.

Patronus: S. Jacobus minor, apost.
Virtus: Puritas cordis.
Textus: „Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt.“ Matth. 5, 8.

7. Julius.

Patronus: S. Philippus, apost.
Virtus: Obedientia.
Textus: „Vos amici mei estis, si feceritis, quae ego praecipio vobis.“ Joann. 15, 14.

8. Augustus.

Patronus: S. Bartholomaeus, apost.
Virtus: Mansuetudo et humilitas cordis.
Textus: „Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.“ Matth, 11, 29.

9. September.

Patronus: S. Matthaeus, apost. et evang.
Virtus: Mortificatio.
Textus: „Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam.“ Joann. 12, 25.

10. October.

Patronus: S. Simon, apost.
Virtus: Collectio mentis et silentium.
Textus: „Dimissa turba ascendit Jesus in montem solus orare.“ Matth. 14, 23.

11. November.

Patronus: S. Thaddaeus, apost.
Virtus: Oratio.
Textus: „Oportet semper orare, et nunquam deficere.“ Luc. 18, 1.

12. December.

Patronus: S. Mathias, apost.
Virtus: Abnegatio sui ipsius et amor crucis.
Textus: „Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.“ Matth. 16, 24.

V.

VISITATIO SANCTISSIMI SACRAMENTI *).

„In me gratia omnis viae et veritatis, in me omnis spes vitae et virtutis"
Eccl. 24, 25.

1.

Instructio de visitatione venerabilis sacramenti.

Laudabilis consuetudo visitandi Christum Dominum praeclarum inter alia medium est varia dona coelestia et familiaritatem cum Deo obtinendi, ut experti sunt s. Thomas, s. Xaverius, s. Borgias, s. Alphonsus de Liguorio aliique innumeri: hinc fuere tam assidui in ea. Sunt enim contestationes honoris et obsequii regi supremo dediti. Sunt officiosae salutationes, quibus amorem nostrum erga sponsum animarum nostrarum dilectissimum contestamur. Sunt accessus ad benefactorem munificentissimum, quibus favores obtinemus et gratias pro iis referimus. Sunt aditus ad thronum gratiae, coram quo necessitates nostras proponimus. Cum ergo Christus Dominus tanto tempore nos expectet, adventum nostrum praestoletur avide, quis venire renuat? Amantes libenter sunt simul.

*) Visitationes ss. sacramenti a sancto Alphonso M. de Liguorio compositae valde commendandae sunt et clericis et laicis.

2.

Prima sacramenti visitandi praxis.

In ipso accessu elice fidem et exhibe summam quam potes internam externamque reverentiam et certum tibi finem propone, cujus gratia Christum Dominum tuum convenias. Ex. gr. 1. Scopus esse potest affectus gratiarum actionis pro beneficiis.

2. Affectus amoris, ut cum eo familiariter agas et intima tua cum eo communices et majore ejus amore inflammeris.

3. Ut necessitatibus, tentationibus, dubiis et perplexitatibus tuis remedium obtineas.

4. Ut infinito amori Christi benedicti, non solum hoc sacramentum instituenti, verum etiam tot saeculis in eo perduranti, aliquo modo respondeas, cujus ejus deliciae sint, esse cum filiis hominum. Fave has illi, praecipue cum adeo pauci reperiantur, qui ejus affectui satisfaciant.

5. Cum multi ipsum variis modis gravissime offendant et inhonorent, tu saltem maxima qua potes teneritudine et reverentia tantas injurias vindica.

3.

Secunda visitandi sacramenti praxis.

Accurre ad Jesum Christum eucharisticum
1) Tanquam aeger ad medicum.
2) Tanquam discipulus ad magistrum.
3) Tanquam sitiens ad fontem.

4) Tanquam filius ad patrem.
5) Tanquam sponsa ad sponsum.
6) Tanquam reus ad asylum.
7) Tanquam mendicus ad inexhaustum thesaurum.

4.

Tertia visitandi ss. sacramenti praxis.

Ab archiatro ac thaumaturgo divino
1) Ut Chananaea micas pete.
2) Ut haemorrhoissa fimbriam tange.
3) Ut paralyticus sanitatem posce.
4) Ut leprosus mundari pete.
5) Ut caecus lumen postula.
6) Ut daemoniacus liberari flagita.
7) Ut spoliatus et vulneratus a latronibus alligari et curari opta: et manum medici coelestis thaumaturgam senties.

5.

Quarta ss. sacramenti visitandi praxis.

Pro varietate visitationes eucharisticas solemnioribus festis accomoda.

1) In natalitiis visita Christum ut natum de Virgine, eique jam accine „Gloria" cum angelis; jam venerare cum pastoribus; jam munera offer cum regibus; jam cum Simeone in ulnas accipe et cum gaudio „Nunc dimittis etc." accine.

2) In Quadragesima visita modo orantem in deserto et cum angelis obsequia tua defer jejunanti; modo apud Annam, Caipham, Herodem, Pilatum, flagellatum, coronatum, crucifixum aspice, adora, venerare, vulnera osculare, compatere, commorere.

3) Tempore paschali Christi corpus gloriosum ejusque quatuor dotes admirare, diversis apparitionibus spiritu praesens interesto. Jam cum Thoma latus et loca clavorum reverenter contracta, jam cum Magdalena pedibus humiliter volvere.

4) Aliis temporibus Deum eucharisticum velut in rubo ardenti vel in columna nubis vel in sede majestatis, iride circumfusa, intuere ac venerare vel ut Agnum supra montem stantem cum viginti quattuor senioribus, depositis coronis, adora.

5) Denique haec tria nunquam intermitte: a) ut pro postrema communione gratias agas; b) pro sequenti gratiam petas; c) in examine particulari proficiendi gratiam postules.

6.

Oratio coram sanctissimo sacramento dicenda *).

Respice, Domine, de sanctuario tuo et de excelso coelorum habitaculo, et vide hanc sacrosanctam hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster,

*) Pius VI. P. M. indulgentiam 100 dierum quotidie concessit cuilibet dicenti coram ss. sacramento hanc orationem.

sanctus puer tuus, Dominus Jesus pro peccatis fratrum suorum, et esto placabilis super multitudinem malitiae nostrae. Ecce vox sanguinis fratris nostri Jesu clamat ad te de cruce. Exaudi, Domine; placare, Domine; attende et fac, ne moreris propter temetipsum, Deus meus, quia nomen tuum invocatum est super civitatem istam et super populum tuum, et fac nobiscum secundum misericordiam tuam. Amen.

VI.

PRECES ANTE ET POST CONFESSIONEM SACRAMENTALEM *).

A. ANTE CONFESSIONEM.

1. Gratias age.

Gratias ago tibi, Deus meus, quod ex nihilo me condidisti et usque in hanc horam conservasti, pretioso sanguine tuo me redemisti, christiana fide me imbui voluisti postque innumerabilia alia tam gratiae quam naturae beneficia tam benigne collata, ad

*) Qui singulis hebdomadis peccata sua confiteri consueverunt, (quem usum statuta multarum dioecesium praescribunt, et S. Carolus enixe commendat) hunc praeter alios fructum capiunt, quod omnes et quascunque indulgentias, excepta Jubilaei, lucrari possunt, si nullius mortalis culpae sibi conscii sunt. Clemens XIII. 9. Decbr. 1763.

statum hunc sacerdotalem ex milibus eligisti ac toties pretioso tuo corpore et sanguine refecisti. Pro his omnibus immensas tibi gratias refero precorque omnes angelos et Sanctos, beatam Virginem filiumque tuum unigenitum, ut ipsi pro me tibi laudes dicant atque immortales gratias pro me referant.

2. Pete lumen.

Domine Deus, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum: illumina, quaeso, splendore gratiae tuae cor meum, ut sufficienter cognoscam defectus et peccata mea eaque cum vero cordis dolore et contritione confitear, sicut oportet coram te et sacerdote, ministro tuo, ac plene pro eisdem satisfaciam, eadem emendem ad laudem et gloriam tuam et benedictae matris tuae Sanctorumque omnium et ad salutem animae meae. Amen.

3. Perquire conscientiam tuam *).

I. Cura rerum spiritualium. — Preces quotidianae, quot et quales? Meditatio, lectio spiritualis, examen conscientiae, an et quomodo? Num credis, omnes clericos in ordinibus majoribus constitutos ad recitandum Breviarium sub peccato mortali esse obligatos? Quando illud recitas? quomodo? an integre, attente, devote, situ locoque

*) Ad conscientiam uberius discutiendam enixe commendatur omnibus clericis „Examen conscientiae in usum cleri", quod edidit Ratisb. Deharbe S. J.

decenti? annon nimis festinanter et decurtanter, permurmurando? Nonne distractionibus ansam praebes pensumve in somni tempora differs?

II. Usus sacramentorum. — Quomodo te ad confessionem praeparas? Quaerisne confessarium, qui neque interroget neque dirigat, et forte eodem quo tu vitio laboret? Num confiteris vera cum sinceritate et contritione et firmo emendationis proposito etiam circa peccata venialia, quae confiteris?

Ad missam qualis praeparatio tua remota et proxima? Qualis in celebrando tremendo sacrificio tua intentio, attentio, devotio? Quae tua post missam gratiarum actio? Num fideliter servas rubricas? — in conficienda, asservanda et distribuenda Eucharistia? —

Num sacramenta administrasti peccato gravi onustus? — quot?

III. Officium pastorale. — Num confessiones audisti libenter, serio, absque personarum acceptatione? num rogatus ad sacramenti administrationem ire tardasti? num obmurmurasti? — Num conciones sedulo praeparasti et graviter habuisti absque tui exquisitione et vanitate? — An paternam impendisti curam pueris in schola et extra scholam, aegris et pauperibus? — Num sine justa causa saepe abfuisti cum animarum periculo?

IV. Vita privata. — *1. Fides:* cogitationes, colloquia, lectiones? Legisne libros prohibitos?

quasnam ephemerides lectitare soles? Studium. 2. *Obedientia:* Repugnantia, murmuratio? violatio jejunii vel abstinentiae? — 3. *Castitas:* cogitando, tentationes non repellendo, desiderando, loquendo, videndo, tangendo? — 4. *Temperantia:* in cibo, potu, somno, lusu, relaxatione animi? — an admisisti iram, scurrilitatem? — 5. *Charitas:* mendacia, invidia, detractio, calumniae, verba dura? — eleëmosynae? — 6. *Modestia clericalis:* in custodia sensuum, conversatione, vestitu, tonsura, suppellectili?

4. Elice actum contritionis.

Domine Jesu Christe, verus Deus et homo, creator ac redemptor meus!

Poenitet me ex toto corde, quod offenderim te Dominum et Deum meum, quem amo super omnia. Et propono firmiter amplius non peccare omnesque peccandi occasiones vitare, confiteri et implere poenitentiam, quae mihi fuerit injuncta.

Et in satisfactionem peccatorum meorum offero tibi sacratissimam vitam, passionem ac mortem tuam totumque pretium sanguinis tui pro nobis effusi, merita quoque B. Mariae V. et omnium Sanctorum atque omnia opera mea et totam vitam meam. — Et confido bonitate et misericordia tua infinita, quod per merita pretiosi sanguinis tui mihi remissurus sis omnia delicta mea et gratiam uberem largiturus, qua vitam sancte instituere tibique per-

fecte usque in finem servire valeam: qui cum Patre sanctoque Spiritu vivis etc.

Deus! propitius esto mihi peccatori.

Jesu, fili David! miserere mei.

Jamjam confessurus dic:

Ecce Domine! ego vilis peccator, pauper et indignus venio ad te superfluentem abyssum pietatis, ut laver ab omni macula et munder ab omni peccato. Amen.

B. POST CONFESSIONEM.

Psalm. 102.

Benedic, anima mea, Domino: * et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto ejus.

Benedic, anima mea, Domino: * et noli oblivisci omnes retributiones ejus.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: * qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam: * qui coronat te in misericordia et miserationibus.

Miserator et misericors Dominus: * longanimis et multum misericors.

Non secundum peccata nostra fecit nobis: * neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

Quantum distat ortus ab occidente: * longe fecit a nobis iniquitates nostras.

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: * quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.

Benedicite Domino, omnes angeli ejus: * ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

Benedicite Domino, omnia opera ejus: * in omni loco dominationis ejus benedic, anima mea, Domino.

Gloria Patri etc.

Oratio post confessionem.

Gratias tibi ago, clementissime Jesu, quod me indignum peccatorem ad poenitentiam patienter expectavisti, veniam et indulgentiam peccatorum mihi concessisti.

Suscipe, obsecro, hanc humilem confessionem meam, quam feci; et quidquid mihi nunc defuit ad plenam et sinceram enumerationem peccatorum meorum et convenientem pro eisdem dolorem, tu ex fonte misericordiae tuae benigne supplere digneris meque perfecte absolutum habere in coelis. Et praesta auxilium gratiae tuae, ut deinceps peccata evitem ac fidelis tibi serviam, intercedente gloriosa virgine, genitrice tua Maria, et omnibus Sanctis, qui tibi placuerunt ab initio mundi.

Juravi enim et statui, deinceps custodire judicia justitiae tuae, te adjuvante, qui vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

Alia oratio post confessionem, qua petitur remissio peccatorum per merita B. V. M. et Sanctorum.

Sit tibi, Domine, obsecro, meritis beatae semper virginis, genitricis tuae Mariae et omnium Sanctorum grata et accepta ista confessio mea; et quidquid

mihi defuit nunc et alias de sufficientia contritionis, de puritate et integritate confessionis, suppleat pietas et misericordia tua; et secundum illam me digneris habere plenius et perfectius absolutum in coelo. Qui vivis et regnas etc. Amen.

Oblatio ss. conversationis et passionis Christi pro peccatis.

O amantissime Pater! In satisfactionem et emendationem omnium peccatorum meorum offero tibi conversationem perfectissimam Unigeniti tui omnemque ejus ss. passionem, quam ipse pro nobis ingratissimis peccatoribus pertulit ab illa hora, qua idem Verbum tuum caro factum est, usque ad horam illam, qua inclinato capite in cruce clamore valido spiritum emisit, rogans per merita ejus, ut deleas omnia peccata mea, gratiam conferas, ut eligam potius millies mori, quam ut te, summum bonum meum, teque Patrem ac Deum mei amantissimum, quem super omnia amo et amare volo, unquam amplius offendam; et praestes, ut te solum deinceps diligam, soli tibi placere cupiam, qui solus omnem omnium creaturarum mereris amorem. Amen.

VII.

ORATIONES

ANTE ET POST SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONEM DICENDÆ.

1.

Ante administrandum sacramentum.

Domine Deus omnipotens, qui me, licet indignum, propter tuam misericordiam ministrum fecisti sacerdotalis officii: propitius esto mihi peccatori, ut condigne possim divinae clementiae tuae sacramenta fidelibus ad ea confugientibus ministrare: per Christum Dominum nostrum. Amen.

Domine Jesu Christe! ego, indignus minister et famulus, nihil de propriis meritis praesumens, sed in tua virtute humillime confisus, volo nunc hoc sacramentum administrare totumque cum debita intentione et attentione, reverentia et devotione ad gloriam nominis tui facere, quod ipsemet fecisti in terris, et nunc facit ac intendit sancta mater ecclesia. Ex intimo cordis affectu doleo de omnibus ac singulis peccatis meis. Rogo te per infinitam misericordiam tuam et per merita B. V. Mariae et omnium Sanctorum, ut mihi propitius tuae divinae charitatis affectum et gratiam concedas, ut quae mei sunt muneris digne valeam implere. Amen.

2.

Oratio post administratum sacramentum.

Omnipotens, misericors Deus, qui mihi, licet indigno famulo tuo, adesse dignatus es ad sacrum ministerium peragendum: ne respicias peccata mea, sed fidem ecclesiae tuae et praesta, ut in famulis tuis illud interius perficiat, quod exteriori opere a nobis exercetur, et quos in sacris muniis fragilitas nostra defectus admisit tua benignus misericordia supplere digneris: per Christum Dominum nostrum.

Domine Jesu Christe! gratias tibi ago, quod mihi, indigno ministro tuo, in hujus sacramenti administratione tuis auxiliis assistere volueris; obsecro te, si quid a me in munere meo sive per negligentiam sive per ignorantiam peccatum fuerit, pro tua pietate et infinita misericordia supplere digneris. Commendo tibi animam famuli (famulae), quam modo per sacramentulem infusionem gratiae tuae roborasti, ut eam a peccatis custodias et in tuo amore conserves, ut in virtutibus in dies magis proficiat atque ad vitam perducatur aeternam. Amen.

3.

Oratio recitanda ante sacramentales confessiones excipiendas *).

Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, ut sciam judicare populum tuum in justitia

*) Pius PP. IX. omnibus et singulis Confessariis in universo orbe catholico existentibus supraenunciatam orationem, antequam ad sacramentales excipiendas confessiones assideant, corde saltem contrito

et pauperes tuos in judicio. Fac me, ita tractare claves regni coelorum, ut nulli aperiam, cui claudendum sit; nulli claudam, cui aperiendum sit. Sit intentio mea pura, zelus meus sincerus, charitas mea patiens, labor meus fructuosus. Sit in me lenitas non remissa, asperitas non severa; pauperem ne despiciam, diviti ne aduler. Fac me ad alliciendos peccatores suavem, ad interrogandos prudentem, ad instruendos peritum. Tribue, quaeso, ad retrahendos a malo solertiam, ad confirmandos in bono sedulitatem, ad promovendos ad meliora industriam; in responsis maturitatem, in consiliis rectitudinem, in obscuris lumen, in implexis sagacitatem, in arduis victoriam; inutilibus colloquiis ne detinear, pravis ne contaminer; alios salvem, meipsum non perdam. Amen.

VIII.

BENEDICTIONES *).

1.

Benedictio candelae pro moribundis.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,

℟. Qui fecit coelum et terram.

et devote recitantibus centum dierum indulgentiam semel tantum in die acquirendam 27 Martio 1854 clementer est elargitus.

*) Desumptae sunt ex Benedictionali Constantiensi.

℣. Domine, exaudi orationem meam;
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum;
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui dixisti: sint lumbi vestri praecincti et lucernae ardentes in manibus vestris: bene✝dicere dignare candelam istam et infunde ei per virtutem sanctae cru✝cis benedictionem coelestem, talemque benedictionem signaculo sanctae crucis accipiat, ut, quibuscunque in locis accensa aut a quibuscunque infirmis in manibus portata fuerit, discedant et contremiscant principes tenebrarum et fugiant pavidi cum omnibus ministris suis. Nec praesumant inquietare aut molestare aut tentare famulos tuos, qui eam ob honorem tuum in manibus suis gestaverint. Tu, Domine, qui es lumen ad revelationem gentium et illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum: digneris illuminare intellectum eorum, qui lumen hoc devote susceperint, ut cognoscant te, solum verum Deum et Patrem tuum coelestem, qui cum eo et Spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum.

℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

2.

Benedictio loci in communi.

℣. Adjutorium nostrum etc. ut supra.

Oremus.

Bene✝dic, Domine Deus omnipotens, locum istum (vel domum istam), ut sit in eo (ea) sanitas, castitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas, mansuetudo, plenitudo legis et gratiarum actio Deo Patri et Filio et Spiritui sancto; et haec bene✝dictio maneat super hunc locum et super habitantes in eo, nunc et semper.

℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

3.

Exorcismus contra imminentem tempestatem fulgurum et grandinis.

Per signum ✝ crucis de inimicis nostris libera nos ✝ Deus noster. In nomine Patris ✝ et Filii ✝ et Spiritus ✝ sancti. Amen.

Pater noster. Ave Maria. Credo.

Kyrie eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,

℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Sit nomen Domini benedictum,

℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

℣. Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus;
℟. Et fugiant, qui oderunt eum, a facie ejus.
℣. Exurge, Christe, adjuva nos,
℟. Et libera nos propter nomen tuum.
℣. Domine, exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui fecisti coelum et terram et omnia, quae in eis sunt, quique flumini Jordani benedixisti atque in eo baptizari voluisti et tuas sanctissimas manus et brachia sanctissima in cru†ce extendisti, quibus aërem sanctificasti: obsecramus immensam pietatis et bonitatis tuae abundantiam, quatenus has nubes, quas ante me et post me et supra me, a dextris et a sinistris video aërem perturbare, dissolvere et annihilare digneris, ut alligata potestas daemonum impie desaevientium deficiat et turbetur ad laudem tui sanctissimi nominis et potentissimae majestatis tuae: qui vivis et regnas etc.

Postea conversus ad nubes signet eas signo crucis dicens:

Benedicat te, nubes, Deus † Pater, benedicat te Deus † Filius, benedicat te Deus † Spiritus sanctus. Dividat te Deus † Pater, dividat te Deus † Filius, dividat te Deus † Spiritus sanctus. Destruat te

Deus † Pater, destruat te Deus † Filius, destruat te Deus † Spiritus sanctus.

Obsecratio.

Sanctus Matthaeus, sanctus Marcus, sanctus Lucas, sanctus Joannes evangelista, qui Christi evangelium per quattuor mundi partes divulgarunt, suis meritis et precibus hanc tempestatem a termino isto et ab omnibus christianorum finibus ab eodem Domino nostro Jesu Christo removeri obtineant et depelli.

Exorcismus.

Et ego peccator et Christi sacerdos seu minister, licet indignus, auctoritate et virtute ejusdem Dei et Domini nostri Jesu Christi, summi imperatoris, non meae potentiae innixus et confisus vobis praecipio, immundissimi spiritus, qui has nubes seu nebulas concitatis, in virtute ejusdem Domini nostri Jesu Christi †, per sanctissimam ejusdem incarnationem, per sanctam nativitatem, per baptismum et jejunium ipsius, per ejusdem sacratissimam cru†cem et passionem, per sanctam resurrectionem, per admirabilem ascensionem, per tremendum adventum ejus ad judicium, per merita intemeratae semperque Virginis Mariae et sancti N. et omnium Sanctorum, ut exeatis ab eis, quatenus nocere non possint hominibus, animalibus, fructibus, herbis, arboribus, agris (vineis) aut quibuscunque rebus humanis usibus deputatis: per Dominum nostrum Jesum Christum,

qui venturus est judicare vivos et mortuos et saeculum per ignem. Amen.

Ipse vobis imperat, daemones, qui has nubes commovetis, a quo de nube lucida dictum est: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui †; ipse vobis imperat, qui sua sanctissima corporis sui sanctissimi in ea extensione aërem purgavit †; ipse vobis imperat, qui per mortem suam vos, principem vestrum mortemque devicit et ligavit atque aeternae gehennae mancipavit incendiis †; ipse vobis imperat, qui, inferno spoliato, surrexit a mortuis †. Ipse vobis imperat, qui post quadraginta dies nube susceptus virtute sua ascendit in coelum †; ipse vobis imperat, qui venturus est judicare vivos et mortuos et saeculum per ignem. Amen.

4.

Exorcismus brevior contra imminentem tempestatem.

Ego, qua minister Christi et ecclesiae, potestate a Deo et ab ecclesia recepta, in virtute sanctissimae Trinitatis et in nomine Domini nostri Jesu Christi impero tibi, daemon, imo omnibus vobis, daemonibus, qui forte hanc tempestatem excitatis, ut illico una cum omnibus maleficiis ab aëre fugiatis et recedatis neque ullam habeatis potestatem has nubes commovendi vel grandines excitandi. Fugite ergo, partes adversae, daemones infernales; sic enim

vobis impero in nomine Patris ✝ et Filii ✝ et Spiritus ✝ sancti. Amen.

Si tempestas cessaverit, pro gratiarum actione dicatur: Te Deum laudamus etc. ut in Breviario.

℣. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu.

℟. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Oremus.

Deus, cujus misericordiae non est numerus et bonitatis infinitus est thesaurus: piissimae majestati tuae pro collatis donis gratias agimus tuam semper clementiam exorantes, ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad praemia futura disponas: per Dominum nostrum etc.

℟. Amen.

IX.

ORDO
COMMENDATIONIS ANIMÆ.

Primum dicuntur Litaniae breves in hunc modum:

Kyrie eleison,
Christe eleison,
Kyrie eleison.
Sancta Maria, Ora pro eo (ea)

Omnes sancti angeli et archangeli,
Sancte Abel,
Omnis chorus justorum,
Sancte Abraham,
Sancte Joannes Baptista,
Omnes sancti patriarchae et prophetae,
Sancte Petre,
Sancte Paule,
Sancte Andrea,
Sancte Joannes,
Omnes sancti apostoli et evangelistae,
Omnes sancti discipuli Domini,
Omnes sancti innocentes,
Sancte Stephane,
Sancte Laurenti,
Omnes sancti Martyres,
Sancte Sylvester,
Sancte Gregori,
Sancte Augustine,
Omnes sancti pontifices et confessores,
Sancte Benedicte,
Sancte Francisce,
Omnes sancti monachi et eremitae,
Sancta Maria Magdalena,
Sancta Lucia,
Omnes sanctae virgines et viduae,
Omnes Sancti et Sanctae Dei,

Ora (Orate) pro eo (ea)!

Propitius esto, parce ei, Domine!
Propitius esto, libera eum (eam) Domine!

Ab ira tua
A periculo mortis
A mala morte
A poenis inferni
Ab omni malo
A potestate diaboli
Per nativitatem tuam
Per crucem et passionem tuam
Per mortem et sepulturam tuam
Per gloriosam resurrectionem tuam
Per admirabilem ascensionem tuam
Per gratiam Spiritus sancti Paracliti
In die judicii

Libera eum (eam), Domine!

Peccatores, te rogamus, audi nos!
Ut ei parcas, te rogamus, audi nos!
Kyrie eleison,
Christe eleison,
Kyrie eleison.

Deinde cum in agone sui exitus anima anxiatur, dicantur sequentes orationes:

Oratio.

Proficiscere, anima christiana, de hoc mundo, in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te creavit; in nomine Jesu Christi, Filii Dei vivi, qui pro te passus est; in nomine Spiritus sancti, qui in te effusus est; in nomine angelorum et archangelorum; in nomine thronorum et dominationum; in nomine principatuum et potestatum; in nomine Cherubim et Seraphim; in nomine patriarcharum et prophe-

tarum; in nomine sanctorum apostolorum et evangelistarum; in nomine sanctorum martyrum et confessorum; in nomine sanctorum monachorum et eremitarum; in nomine sanctarum virginum et omnium sanctorum et sanctarum Dei. Hodie sit in pace locus tuus, et habitatio tua in sancta Sion: per eundem Christum, Dominum nostrum. Amen.

Oratio.

Deus misericors, Deus clemens, Deus, qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccatum poenitentium deles et praeteritorum criminum culpas venia remissionis evacuas: respice propitius super hunc famulum tuum N. (vel famulam tuam N.) et remissionem omnium peccatorum suorum tota cordis confessione poscentem deprecatus exaudi. Renova in eo, piissime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum, vel quidquid diabolica fraude violatum est, et unitati corporis ecclesiae membrorum redemptionis annecte. Miserere, Domine, gemituum, miserere lacrymarum ejus et non habentem fiduciam, nisi in tua misericordia, ad tuae sacramentum reconciliationis admitte: Per Christum, Dominum nostrum. ℟. Amen.

Commendo te omnipotenti Deo, charissime frater, et ei, cujus es creatura, committo, ut, cum humanitatis debitum, morte interveniente, persolveris, ad auctorem tuum, qui te de limo terrae formaverat, revertaris. Egredienti itaque animae tuae de cor-

pore splendidus angelorum coetus occurrat; judex apostolorum tibi senatus adveniat; c. ndidatorum tibi martyrum iriumphator exercitus obviet; liliata rutilantium te confessorum turma circumdet; jubilantium te virginum chorus excipiat; et beatae quietis in sinu patriarcharum te complexus adstringat; mitis atque festivus Christi Jesu tibi aspectus appareat, qui te inter assistentes sibi jugiter interesse decernat. Ignores omne, quod horret in tenebris, quod stridet in flammis, quod cruciat in tormentis. Cedat tibi teterrimus satanas cum satellitibus suis; in adventu tuo, te comitantibus angelis, contremiscat atque in aeternae noctis chaos immane diffugiat. Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum a facie ejus. Sicut deficit fumus, deficiant; sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei, et justi epulentur et exultent in conspectu Dei. Confundantur igitur et erubescant omnes tartareae legiones, et ministri satanae iter tuum impedire non audeant. Liberet te a cruciatu Christus, qui pro te crucifixus est. Constituat te Christus, Filius Dei vivi, intra paradisi sui semper amoena virentia, et inter oves suas te verus ille pastor agnoscat. Ille ab omnibus peccatis tuis te absolvat atque ad dexteram suam in electorum suorum te sorte constituat. Redemptorem tuum facie ad faciem videas, et praesens semper assistens manifestissimam beatis oculis aspicias veritatem. Constitutus igitur inter agmina

Beatorum contemplationis divinae dulcedine potiaris in saecula saeculorum. Amen.

Oratio.

Suscipe, Domine, servum tuum in locum sperandae sibi salvationis a misericordia tua. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui ex omnibus periculis inferni et de laqueis poenarum et ex omnibus tribulationibus. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Henoch et Eliam de communi morte mundi. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Noë de diluvio. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui. sicut liberasti Abraham de Ur Chaldaeorum. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Job de passionibus suis. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Isaac de hostia et de manu patris sui Abraham. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Lot de Sodomis et de flamma ignis. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Moysen de manu Pharaonis, regis Aegyptiorum. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi sui, sicut liberasti Danielem de lacu leonum. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti

tres pueros de camino ignis ardentis et de manu regis iniqui. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Susannam de falso crimine. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti David de manu regis Saul et de manu Goliath. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Petrum et Paulum e carceribus. ℟. Amen.

Et sicut beatissimam Theclam virginem et martyrem tuam de tribus atrocissimis tormentis liberasti, sic liberare digneris animam hujus servi tui et tecum facias in bonis congaudere coelestibus. ℟. Amen.

Oratio.

Commendamus tibi, Domine, animam famuli tui N. precamurque te, Domine Jesu Christe, salvator mundi, ut, propter quam ad terram misericorditer descendisti, patriarcharum sinibus insinuare non renuas. Agnosce, Domine, creaturam tuam, non a diis alienis creatam, sed a te solo, Deo vivo et vero; quia non est alius Deus praeter te, et non est secundum opera tua. Laetifica, Domine, animam ejus in conspectu tuo, et ne memineris iniquitatum ejus antiquarum et ebrietatum, quas suscitavit furor sive fervor mali desiderii. Licet enim peccaverit, tamen Patrem et Filium et Spiritum sanctum non negavit, sed credidit et zelum Dei in se habuit et Deum, qui fecit omnia, fideliter adoravit.

Oratio.

Delicta juventutis et ignorantias ejus, quaesumus, ne memineris, Domine, sed secundum magnam misericordiam tuam memor esto illius in gloria claritatis tuae. Aperiantur ei coeli, collaetentur illi angeli. In regnum tuum, Domine, servum tuum suscipe. Suscipiat eum sanctus Michael, archangelus Dei, qui militiae coelestis meruit principatum. Veniant illi obviam sancti angeli Dei et perducant eum in civitatem coelestem Jerusalem. Suscipiat eum beatus Petrus apostolus, cui a Deo claves regni coelestis traditae sunt. Adjuvet eum sanctus Paulus apostolus, qui dignus fuit esse vas electionis. Intercedat pro eo sanctus Joannes, electus Dei apostolus, cui revelata sunt secreta coelestia. Orent pro eo omnes sancti apostoli, quibus a Domino data est potestas ligandi atque solvendi. Intercedant pro eo omnes Sancti et Electi Dei, qui pro Christi nomine tormenta in hoc saeculo sustinuerunt: ut vinculis carnis exutus pervenire mereatur ad gloriam regni coelestis, praestante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Si anxiatur adhuc anima, dicuntur hi psalmi: „Confitemini Domino“, et totus psalmus: „Beati immaculati“, per Horas distributus.

Egressa autem anima, dicitur hoc:

℟. Subvenite, Sancti Dei! Accurrite, angeli Domini, suscipientes animam ejus, offerentes eam in conspectu Altissimi.

℣. Suscipiat te Christus, qui vocavit te, et in sinum Abrahae angeli deducant te. Suscipientes etc.

℣. Requiem aeternam dona ei, Domine: et lux perpetua luceat ei. Offerentes eam etc.

Kyrie eleison,
Christe eleison,
Kyrie eleison.
Pater noster etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Requiem aeternam dona ei, Domine.
℟. Et lux perpetua luceat ei.
℣. A porta inferi
℟. Erue, Domine, animam ejus.
℣. Requiescat in pace.
℟. Amen.
℣. Domine, exaudi orationem meam;
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Tibi, Domine, commendamus animam famuli tui N. (ancillae tuae N.), ut defunctus (defuncta) saeculo tibi vivat, et, quae per fragilitatem humanae conversationis peccata commisit, tu venia misericordissimae pietatis absterge: per Christum Dominum nostrum. Amen.

X.

FORMULA
ABSOLUTIONIS GENERALIS SEU BENEDICTIONIS ET PLENARIÆ INDULGENTIÆ IN ARTICULO MORTIS CONSTITUTIS IMPERTIENDÆ A SACERDOTE FACULTATEM HABENTE.

Benedictio in articulo mortis cum soleat impertiri post sacramenta poenitentiae, eucharistiae et extremae unctionis illis infirmis, qui vel illam petierint, dum sana mente et integris sensibus erant, seu verisimiliter petiissent, vel dederint signa contritionis; impertienda iisdem est, etiamsi postea linguae ceterorumque sensuum usu sint destituti aut in delirium vel amentiam inciderint. Excommunicatis vero, impoenitentibus, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, est omnino deneganda.

Sacerdos ingrediendo cubiculum, ubi jacet infirmus, dicat: **Pax huic domui,**

℟. **Et omnibus habitantibus in ea.** Ac deinde aegrotum, cubiculum et circumstantes aspergit aqua benedicta dicendo Ant. **Asperges me, Domine, hyssopo et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor. Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.**

Gloria Patri . . . . Sicut erat . . . Asperges.

Quodsi aegrotus voluerit confiteri, audiat illum et absolvat. Si confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis; de hujus benedictionis efficacia ac virtute, si tempus feret, breviter admoneat. Tum instruat atque hortetur, ut

morbi incommoda ac dolores in anteactae vitae expiationem libenter perferat Deoque sese paratum offerat ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem poenarum, quas peccando promeruit.

Tum piis ipsum verbis consoletur, in spem erigens, fore, ut ex divinae munificentiae largitate plenam poenarum remissionem et vitam sit consecuturus aeternam.

Postea dicat:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,

℟. Qui fecit coelum et terram.

Antiph. Ne reminiscaris, Domine, delicta famuli tui (famulae tuae), neque vindictam sumas de peccatis ejus.

Kyrie eleison,
Christe eleison,
Kyrie eleison.
Pater noster etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem,

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvum fac servum tuum (ancillam tuam)

℟. Deus meus, sperantem in te.

℣. Domine, exaudi orationem meam;

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum,

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Clementissime Deus, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui neminem vis perire

in te credentem atque sperantem: secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius famulum tuum N. (famulam tuam N.), quem (quam) tibi vera fides et spes christiana commendat. Visita eum (eam) in salutari tuo et per Unigeniti tui passionem et mortem omnium ei delictorum suorum remissionem et veniam clementer indulge, ut ejus anima in hora exitus sui te judicem propitiatum inveniat et in sanguine ejusdem Filii tui ab omni macula abluta transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eundem etc.

Tum dicto ab uno ex clericis seu ministris adstantibus „Confiteor“ sacerdos dicat: **Misereatur . . . Indulgentiam . . .**

Deinde:

Dominus noster Jesus Christus, Filius Dei vivi, qui beato Petro, apostolo suo, dedit potestatem ligandi atque solvendi: per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam et restituat tibi stolam primam, quam in baptismate recepisti, et ego facultate mihi ab apostolica sede tributa indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo in nomine Patris et Filii ✝ et Spiritus sancti. Amen.

Per sacrosancta humanae reparationis mysteria remittat tibi omnipotens Deus omnes praesentis et futurae vitae poenas, paradisi portas aperiat et ad gaudia sempiterna perducat. Amen.

Benedicat te omnipotens Deus Pater et Filius † et Spiritus sanctus. Amen.

Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut neque confessionis generalis faciendae neque praemissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim sacerdos benedictionem ei impertiatur dicens: **Dominus noster Jesus Christus . . .**

Et si mors proxime urgeat, dicat:

Ego facultate mihi ab apostolica sede tributa. . . . .

XI.

LITANIÆ LAURETANÆ *).

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis, Deus, Miserere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.
Sancta Maria,
Sancta Dei genetrix,
Sancta virgo virginum,
Mater Christi,
Mater divinae gratiae,
} Ora pro nobis!

*) Pius VII. indulg. 300 dierum has litanias devote et poenitenter recitanti concessit 30. Sept. 1817.

Mater purissima,
Mater castissima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater creatoris,
Mater salvatoris,
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo praedicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Speculum justitiae,
Sedes sapientiae,
Causa nostrae laetitiae,
Vas spirituale,
Vas honorabile,
Vas insigne devotionis,
Rosa mystica,
Turris Davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Foederis arca,
Janua coeli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,

Ora pro nobis!

Consolatrix afflictorum,
Auxilium Christianorum,
Regina angelorum,
Regina patriarcharum,
Regina prophetarum,
Regina apostolorum,
Regina martyrum,
Regina confessorum,
Regina virginum,
Regina sanctorum omnium,
Regina sine labe originali concepta,

Ora pro nobis!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: parce nobis Domine,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: exaudi nos, Domine,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: miserere nobis,
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.

Ave Maria.

Sub tuum praesidium confugimus, sancta Dei genetrix! Nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris; sed a periculis cunctis libera nos semper, virgo gloriosa et benedicta! Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra! tuo filio nos reconcilia, tuo filio nos commenda, tuo filio nos repraesenta.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei genetrix!
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Gratiam tuam, quaesumus, Domine, mentibus nostris infunde, ut qui, angelo nuntiante, Christi filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur: per eundem Christum, Dominum nostrum. Amen.

℣. Ora pro nobis, beatissime Joseph!

℟. Ut digne efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Sanctissimae genitricis tuae sponsi, quaesumus, Domine, meritis adjuvemur, ut quod possibilitas nostra non obtinet ejus nobis intercessione donetur: qui vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

O. A. M. D. G.



